Dat. die 16. maii 1770. Anno I.

## LXVII.

Confirmatio, et extensio Brevis sanctæ memoriæ Innocentii XI. super celebratione functionum in honorem beatæ Mariæ virginis sine macula conceptæ pro fratribus ordinis minorum sancti Francisci Conventualium.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Præcipua devotio, qua universus minorum sancti Francisci Conventualium ordo festum conceptionis immaculatæ virginis Mariæ semper coluit, ac celebrat, exigit sane, et postulat, ut Nos, qui eumdem ordinem professi fuimus, in excelsa Sedis apostolicæ specula meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam modo constituti eam confovere jugiter satagamus; atque, ut omni inter christifideles æmulationis studio in eo celebrando sublato, uno spiritu festum hujusmodi quiete, ac tranquillitate colatur, pastoralis officii Nostri partes libenter interponimus, quemadmodum in Domino conspicimus expedire.

Congregatio sacris ritibus proposita, probante Innocentio XI. prohibuit, ne fratres de Mercede redemptionis captivorum celebrarent duodecim dies sabbathi ante festivitatem conceptionis, jusque hujusmodi solis Conventualibus competere declaravit.

§. 2. Dudum siquidem exorta controversia inter fratres præfati ordinis civitatis Panormitanæ, et fratres beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum discalceatorum nuncupatorum ejusdem civitatis super jure celebrandi duodecim dies sabbathi ante festivitatem conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ, eaque proposita in congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum, eadem congregatio, audita relatione vicarii capitularis illius ecclesiæ archiepiscopalis, proponente bo. mem. cardinali de Nortfolcia die xxiii. martii MDCLXXXVI. censuit, prohibendam esse eisdem fratribus beatæ Mariæ virginis de Mercede hujusmodi celebrationem, et competere tantum fratribus minoribus Conventualibus prædictis; quod sane congregationis hujusmodi decretum piæ memoriæ Innocentius pp. XI. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die decima septima augusti ejusdem anni MDCLXXXVI. expeditas literas apostolica auctoritate deinde confirmavit, et approbavit, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Nihilominus alii regularium ordinum professores eos postmodum a possessione juris hujusmodi turbare pertentarunt.

§. 3. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii modernus guardianus, et fratres dicti ordinis minorum sancti Francisci Conventualium præfatæ civitatis, nonnulli postmodum aliorum ordinum regularium professores eos in possessione privative celebrandi publicas functiones ad festum hujusmodi pertinentes turbare, sed frustra tentaverint; nuperrime vero ipsimet fratres ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum discalceatorum ejusdem civitatis, quibus celebratio duodecim præcedentium sabbathorum a decreto, et literis prædictis prohibita fuerat, ut præfertur, solemnem processionem cum statua ejusdem beatæ Mariæ virginis immaculatæ peragere posse asseruerint.

Unde et perturbatio in sacris functionibus, et inanis æmulatio oriri cœpit.

§. 4. Qua de re, ne in laudabilibus hisce sacris functionibus oriatur perturbatio, et inanis æmulatio, ex quibus facile confusiones, et etiam scandala proveniunt, quemadmodum ad hæc omnia vitanda, celebratio præcedentium duodecim sabbathorum ex decreto, et literis prædictis vetita fuit, ita dicti exponentes non solum decretum, et literas prædictas per Nos approbari, sed etiam illas ad processiones, seu supplicationes hujusmodi, aliasque publicas solemnitates in honorem conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ extendi, et ampliari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Quæ omnia removta tamen fuerant per novam confirmationem, et generalem ampliationem ipsius specialis privilegii.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac earum literarum tenorem præsentibus pro plene, ac de verbo ad verbum inserto habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictum decretum memoratæ congregationis, ac easdem literas ipsius Innocentii prædecessoris auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, ac, quatenus opus sit, etiam innovamus, necnon insuper

eisdem tantum fratribus ordinis minorum sancti Francisci Conventualium tam Panormi, quam in aliis civitatibus, et oppidis in Siciliæ regno existentibus, ut ipsi, et non alii processiones, seu supplicationes hujusmodi, aliasque publicas solemnitates cujuscumque generis, et quocumque die, et tempore celebrandas in honorem conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ peragere possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis statuimus, decernimus, et declaramus; salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ congregationis cardinalium.

Clausulæ salutares.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aliove quolibet etiam substantiali defectu impugnari, infringi, et invalidari posse, sed ipsas præsentes literas validas, firmas, et efficaces semper existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima sexta maii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

---

## LXVIII.

Dat. die 21. Maii 1770. Anno I.

Ecclesiæ, et capitulo sancti Joannis in Laterano, quibus competit administratio bonorum suppressi monasterii sanctæ Mariæ de Misericordia, indulgetur facultas commutandi usum reddituum ipsorum, illosque erogandos non in comodum piarum magistrarum, sed alumnorum ad seminaria mittendorum.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Historia suppressionis monasterii sanctæ Mariæ de Misericordia.

§. 1. Alias felicis recordationis Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster in pastorali visitatione patriarchalis ecclesiæ sancti Joannis in Laterano nuncupatæ, rerumque ad ecclesiam hujusmodi pertinentium habita anno MDCCXLV. justis ex causis, tunc expressis monasterium sanctæ Mariæ de Misericordia nuncupatum monialium ordinis sancti Benedicti loci de Sambucheto pertinentis ad monasterium abbatiam nuncupatam sancti Petri de Ferentillo, seu Fiorentillo pariter nuncupatam ejusdem sancti Benedicti, seu alterius ordinis Nullius, seu Spoletanæ diœcesis sub spirituali jurisdictione pro tempore existentium capituli, et canonicorum dictæ ecclesiæ supprimendum esse decrevit, ideoque ne aliæ puellæ ad regularem habitum in eo admittendæ amplius essent, simul prohibuit, et quid statuendum esset quoad moniales tunc in eo existentes ad aliud tempus distulit. Postmodum piæ memoriæ Clementi pp. XIII. itidem prædecessori Nostro pro parte eorumdem capituli, et canonicorum exposito, quod tres tantum moniales provectæ ætatis, et mala valetudine affectæ in monasterio prædicto supererant, ipse Clemens prædecessor præfatum monasterium usque tunc, et quando duæ ex tribus monialibus prædictis decessissent, vel omnes tres moniales hujusmodi ad aliud monasterium

auctoritate apostolica transire voluissent, reipsa perpetuo suppressit, ejusdemque suppressionis effectu secuto, omnia bona ad dictum monasterium pertinentia, quæ juxta notulas tunc exhibitas valoris scutorum undecim millium triginta quinque, et obulorum sexaginta monetæ, ac annuorum fructuum scutorum tercentum viginti, et unum similis monetæ circiter esse dicebantur, a dictis capitulo, et canonicis administrari voluit, ad hoc ut, demptis prius realibus oneribus per eosdem capitulum, et pro tempore existentes canonicos, vel eorum deputatos specialiter designandos, fructus hujusmodi bonorum ita distribuendi essent, ut pro rata centum viginti scutorum dictæ monetæ in subsidium, ac levamen rectorum, seu perpetuorum vicariorum ecclesiarum parochialium jurisdictionis ejusdem capituli, et canonicorum juxta prudens arbitrium ipsorum, vel ab eis deputatorum hujusmodi impendi deberent; pro alia vero simili rata centum viginti scutorum persolvendi essent tribus magistris piis nuncupatis in communione viventibus, quæ in terra de Materilla jurisdictionis ejusdem capituli, et canonicorum puellas totius jurisdictionis prædictæ rudimenta fidei, christianasque virtutes, ac muliebria artificia edocere tenerentur, et pro magistrarum hujusmodi habitatione idem Clemens prædecessor voluit, ut in præfata terra a dictis capitulo, et canonicis, seu eorum deputatis vel emenda, vel reficienda, ac aptanda, vel ex integro construenda esset domus ex redditibus monasterii prædicti, qui superfuissent usque ad tempus illius effectivæ suppressionis, et quatenus ad id minime sufficerent, tunc alias assignationes prædictas potius suspendendas esse præscripsit, fructusque hujusmodi in introducendis, constabiliendisque eisdem magistris piis impendi decrevit: reliqua vero scuta octuaginta, et unum ex fructibus prædictis in salaria ministrorum, aliasque necessarias expensas, ac præsertim in manutentione ecclesiæ suppressi monasterii hujusmodi, illiusque custodis, ac in adimplendis missarum oneribus erogari sancivit, et alias prout in ipsius Clementis prædecessoris sub plumbo anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo nono pridie kalendas decembris expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Expositio status redditunm bonorum ad monasterium olim pertinentium, novissime confecti.

§. 2. Verum quia ex statu activo, et passivo dicti suppressi monasterii deinde confecto a venerabili fratre Francisco patriarcha Alexandrino, ejusdem ecclesiæ canonico, et a dictis capitulo, et canonicis deputato in præfectum administrationi spiritualis æconomiæ, seu bonorum, atque reddituum ejusdem monasterii abbatiæ nuncupati sancti Petri de Ferentillo, seu Fiorentillo in visitatione summa cum diligentia per ipsum Franciscum patriarcham expleta constitit, quod bona, seu capitalia dicti monasterii sanctæ Mariæ de Misericordia valoris tantummodo erant scutorum decem millium centum octuaginta trium, ac obulorum octuaginta quatuor monetæ, eorumque redditus, demptis oneribus, summam scutorum ducentorum, et unum, ac obulorum octuaginta sex similium minime excedebant; volentesque præfati capitulum et canonici tamquam administratores bonorum suppressi monastesii hujusmodi contenta in memoratis literis ipsius Clementis prædecessoris executioni demandare; quippe quia per obitum ultimæ superstitis monialis dicti monasterii secutum mense maji anno MDCCLXVII. ejus suppressioni locus jam factus fuerat, ac una simul perpendentes, quod annui redditus prædictorum scutorum ducentorum, et unum, ac obulorum octuaginta sex pro implemento omnium operum piorum satis profecto non erant; nam dempta ex redditibus hujusmodi rata, seu portione centum viginti scutorum, ut præfertur, assignata in levamen, ac subsidium rectorum, ac vicariorum prædictorum, quæ sane necessaria admodum erat, quandoquidem fructus parochialium ecclesiarum ejusmodi adeo exigui dignoscuntur, ut rectorum, et vicariorum prædictorum sustentationi minime sufficiant, qua de re persæpe contigit, ut in earum vacationis eventu nullus reperiatur, qui eas obtinere desideret, reliqua quantitas scutorum octuaginta, et unum, ac obulorum octuaginta sex pro manutentione dictarum magistrarum satis non esse videbatur; ac propterea memorati capitulum, et canonici animadvertebant, quod magistræ hujusmodi in dicta terra de Materilla constitutæ aliis locis sub jurisdictione ejusdem capituli existentibus nullam afferre poterant utilitatem, dum exceptis puellis dictæ terræ, aliisque ad summum alterius terræ de Precetto nuncupatæ tamquam proximioris, seu ab ea sejuncta a flumi-

me Nigra paritèr nuncupato, reliquæ omnes puellæ aliorum locorum prædictorum propter distantiam, ac vias memoribus, foveisque obrutas nullum inde utilitatis compendium assequerentur.

*Preces porrectæ pro obtinenda facultate erogandi redditus in comodum adolescentium in seminariis recipiendorum, quam Clemens XIII. libenter indulsit.*

§. 3. Qua de re ipsi supplices porrexerunt preces eidem Clementi prædecessori ad hoc ut loco earumdem magistrarum piarum, quæ juxta præmissa constituendæ erant, ut præfertur, commutata in hoc præcedentium suarum literarum dispositione, eis facultatem tribueret, erogandi reliquam quantitatem prædictam scutorum octuaginta, et unum, ac obulorum octuaginta sex pro manutentione tot adolescentium alumnorum in aliquo ex proximis seminariis, qui sane adolescentes in aliquo ex dictis locis orti ab eisdem capitulo, et canonicis eligendi essent, et in seminariis ejusmodi pro et tempore, quod à præfatis capitulo, et canonicis judicaretur opportunum, retineri deberent, ut ipsi pietate, ac scientiis ibidem prius imbuti ad sacros etiam presbyteratus ordines deinde ascendere possint, et ad parochiales prædictas assequendas idonei efficiantur. Idem vero Clemens prædecessor, audita super præmissis relatione dilecti filii Nostri Nerei diaconi cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Corsini nuncupati, et ipsius ecclesiæ sancti Joannis in Laterano archipresbyteri hujusmodi supplicationibus inclinatus, disposita in præcedentibus ipsius literis quoad præmissa commutando, suis rescriptis editis die secunda augusti MDCCLXVII., et die tertia octobris MDCCLXVIII. petitam gratiam, atque facultatem per literas in forma Brevis expediendas concessit, et indulsit, ac alias prout in eisdem rescriptis, quorum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

*Sed nec expeditæ fuerunt literæ, nec executioni commissæ.*

§. 4. Cum autem sicuti memorati capitulum, et canonici Nobis nuper exponi fecerunt, literæ prædictæ, quæ desuper juxta rescripta hujusmodi expediendæ erant, minime usque adhuc expeditæ fuerint; dicti vero exponentes facultatem loco magistrarum piarum erogandi præfatos redditus in manutentionem dictorum adolescentium ab eodem Clemente prædecessore, ut præfertur, obtentam per Nos confirmari, et approbari, ac, quatenus opus sit, denuo concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

*Quod tamen novissime indulgetur, et commutatio jam decreta confirmatur.*

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quasi forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati commutationem prædictam a memorato Clemente prædecessore, ut præfertur concessam, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, ac, quatenus opus sit, eisdem capitulo, et canonicis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut licet juxta memoratas ipsius Clementis prædecessoris literas ex redditibus dicti monasterii sanctæ Mariæ de Misericordia magistræ piæ hujusmodi constituendæ, et alendæ essent, ut præmittitur, nihilominus ipsi loco, et vice earumdem magistrarum, tot adolescentes alumnos in aliquo ex locis prædictis ortos, et ab eis eligendos in præfatis seminariis tempore sibi beneviso, et opportuno retinere, et redditus prædictos pro reliqua rata superius expressa in hanc causam convertere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis denuo concedimus, et indulgemus.

*Clausulæ salutares, et præservativæ.*

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

*Decretum irritans.*

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 8. Non obstantibus ejusdem Clementis prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non capituli, et ecclesiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et for-

mis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima maii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

---

Dat. die 29 maii 1770. Anno 1.

## LXIX.

Erectio unius scholæ quæ in civitate sancti Angeli Vadensis erat facienda commutatur in erectionem, et immutationem unius hospitalis pro infirmis excipiendis, et curandis in eadem civitate.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Sacerdos Martius Boni legatum reliquit pro subsidio dotali in favorem puellarum civitatis Vadensis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni vexilliferus, et priores civitatis Nostræ sancti Angeli in Vado, quod alias tunc in humanis agens Martius Boni presbyter dictæ civitatis in suo ultimo testamento mandavit, ut fructus scutorum bis mille monetæ Urbini, quorum ipse ex causa census creditor erat communitatis, et annonæ ejusdem civitatis in dotem quinque puellarum erogandi essent, ea tamen adjecta lege, ut in casu, quo eadem scuta bismille restituta fuissent, eorumque investimentum cum communitatibus, et annonis aliarum civitatum sequeretur, tunc puellæ istarum civitatum, non autem illæ sancti Angeli in Vado ad subsidia dotalia hujusmodi nominandæ essent, et alias prout in dicto Martii testamento uberius dicitur contineri.

Quod Benedictus XIV commutavit, jussitque ut erigerentur scholæ a piis magistris dirigendæ.

§. 2. Anno itaque MDCCLVI. cum communitas, et annona prædictæ civitatis extinguere vellent censum hujusmodi, ac restituere memorata scuta bismille hæredibus dicti Martii testatoris, hinc ne extra eamdem civitatem illa investienda essent, sed omni meliori modo in perpetuam ipsius civitatis utilitatem permanere possent, nomine promotoris fiscalis ejusdem curiæ episcopalis supplices porrectæ fuerunt preces felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessori Nostro, ad hoc ut, commutando voluntatem dicti testatoris, loco subsidiorum dotalium ab ipso volitorum, unam scholam magistrarum piarum nuncupatarum erigere vellet, atque ad id tam ejusdem civitatis episcopus, quam hæredes ipsius Martii testatoris, ad quos jus nominandi puellas ad prædicta subsidia dotalia pertinebat, suum assensum præstiterunt. Idem vero Benedictus prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, per suas in simili forma Brevis die prima julii MDCCLVI. expeditas literas petitam voluntatis hujusmodi commutationem, simulque erectionem scholæ a magistris piis dirigendæ sub certis, modo, et forma tunc expressis concessit, et indulsit, ac alias prout in memoratis ejusdem Benedicti prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Sed propter tenuitatem redituum, submultiplico capitalia fuere posita.

§. 3. Propter tamen modicam quantitatem capitalis dicti census, cum erectio ejusmodi scholæ commode fieri minime posset, hinc magis conveniens judicatum fuit, ut sub multiplico eadem scuta bis mille ponenda essent, et confraternitates dictæ civitatis aliquod subsidium pro comparanda domo in summa scutorum septingentorum quinquaginta ejusdem monetæ præstare deberent.

Imploratur facultas noviter immutandi dispositionem testatoris, per erectionem hospitalis pro pauperibus in locum scholæ pro puellis.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat schola prædicta adhuc erecta minime sit, et in memorata civitate quatuor monasteria monialium reperiantur, in quibus puellæ recte instrui, et educari possunt; e contra vero in ea prorsus deficiat hospitale pro pauperibus infirmis omni idcirco subsidio in eorum infirmitatibus destitutis, ac persæpe absque ullo temporali auxilio, sine medicaminibus, et parvi etiam cubilis commoditate decedentibus, qua de causa dicti exponentes, præfatam scholam magistrarum piarum nondum erectam in fundationem, et erectionem unius hospitalis pro pauperibus infirmis excipiendis per Nos commutari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis op-

portune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Quam commutationem libenter Pontifex indulget etiam cum derogatione constitutionis Benedictinæ.

§. 5. Nos igitur, qui eamdem civitatem, ut patriam Nostram propensiori affectu respicimus, ac in Christo diligimus, exponentes ipsos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, petitam commutationem scholæ juxta memoratas ejusdem Benedicti prædecessoris literas, ut præfertur, erigendæ in unum hospitale, quod pro pauperibus infirmis excipiendis, curandisque in dicta civitate erigi debeat auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; eidemque hospitali tam capitale, quam redditus omnes, seu fructus usque nunc decursos legati pii subsidiorum dotalium prædictorum a memorato Martio testatore demandati, una cum præfata domo, aliisque, quæ a confraternitatibus prædictis pro substentatione magistrarum piarum assignata fuerunt, auctoritate, et tenore prædictis assignamus, et applicamus.

Hospitale vero sub dependentia episcopi Vadensis ponit, et sub administratione quatuor deputatorum.

§. 6. Volumus autem, quod hospitale hujusmodi sub dependentia, et mandatis venerabilis fratris nunc, et pro tempore existentis episcopi dictæ civitatis regi, et administrari debeat a quatuor deputatis, quorum duo a capitulo cathedralis ecclesiæ civitatis prædictæ, alii vero duo ab ejusdem civitatis consilio sint eligendi: salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulæ salutares.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus ejusdem Martii testatoris etiam ultima dispositione, quam quoad præmissa commutamus, et ipsius Benedicti prædecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona maii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno primo.

---

## LXX.

Datum die 30 Maii 1770. Anno I.

Monialibus sub regula sanctæ Theresiæ viventibus in conservatorio Pænitentium Sæcularium de urbe, indulgetur ut earum cadavera in propria interiori cappella sepeliri possint, et sacramenta ab earum confessario administrari debeant.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Origo conservatorii exponitur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia moderna superiorissa conservatorii Pœnitentium Sæcularium nuncupati hujus almæ urbis Nostræ quod paucis ab hinc annis nonnullæ ejusdem conservatorii mulieres divino spiritu ductæ ad religiosum statum monialium sub regula sanctæ Theresiæ transierunt, atque ad id loco decenti ab ipsis mulieribus comparato, quatuordecim ex eis usque ad præsens ad habitum admissæ sunt, absque tamen solemnium votorum emissione, et hinc benedicente Domino, magnus profectus in via spiritus quotidie dimanat, et augetur.

Narratur quomodo moniales continuo in parochiali ecclesia sepultæ fuerint.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfati conservatorii mulieres semper in parochiali ecclesia sancti Spiritus in Saxia, sub qua hujusmodi conservatorium existit, sepultæ sint, decens vero minime videatur, quod illæ, quæ ad habitum religiosum prædictum sunt admissæ publice cum eodem habitu ad eamdem parochialem ecclesiam transferantur, ibique in communi sepultura sepeliantur; sed quemadmodum omnes moniales in earum respectivis ecclesiis, sive interioribus, sive exterioribus se-

pelluntur, et sacramenta per confessarium ordinarium absque ulla dependentia a parocho, vel ecclesia parochiali administrantur, ita dicta exponens se, aliasque mulieres ad religionis habitum, ut præfertur, admissas, et in posterum ibidem admittendas in interiori ecclesia, seu cappella in eodem loco existente sepeliri, sibique, et illis ab earum confessario ordinario sacramenta administrari posse per Nos concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Sed ob assumptum habitum religiosum eisdem conceditur ut in propria cappella sepeliri possint.

§. 3. Nos igitur ipsam exponentem, aliasque mulieres prædictas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione dilecti filii Nostri Marci Antonii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Columnæ nuncupati in alma urbe Nostra vicarii in spiritualibus generalis, prædictæ exponenti, aliisque mulieribus prædictis ad religionis habitum hujusmodi admissis, et pro tempore quandocumque admittendis, ut earum cadavera in memorata interiori ecclesia, seu cappella sepeliri possint, et valeant; earum vero confessario ordinario nunc, et pro tempore existenti, sacramenta etiam sanctissimæ Eucharistiæ per modum viatici, et extremæ unctionis ipsis administrare libere, et licite possit, et valeat respective auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ac præterea, ut in eadem ecclesia, seu cappella sacrum oleum infirmorum semper asservetur, ita tamen, ut clavis ejus conditorii a dicto confessario custodiatur, auctoritate, et tenore prædictis statuimus, et mandamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod parochus dictæ parochialis ecclesiæ, seu alii in præmissis interesse habentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi fuerint, ex quacumque causa, colore, prætextu, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aliove quolibet defectu impugnari, infringi, et retractari posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per præsentes non intendimus dicti conservatorii institutum, seu denominationem in aliquo approbare. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima maii millesimo septingentesimo septuagesimo pontificatus Nostri anno primo.

# ANNO SECUNDO

Dat. die 7. Junii 1770. Anno II.

## LXXI.

Dividitur diœcesis, et episcopatus Egitaniensis, et erigitur novus episcopatus Castrialbi nuncupatus, subjiciturque patriarchæ Lisbonensi.

Egitaniensis dismembrationis, et erectionis in episcopatum.

Expositio precum porrectarum a ministro plenipotentiario regis fidelissimi super statu episcopatus Egitaniensis.

§. 1. Cum excellentissimus dominus commendator Franciscus de Almada, et Mendonæa minister plenipotentiarius serenissimi Josephi regis fidelissimi apud sanctam Sedem nomine ejusdem majestatis suæ sanctissimo Domino Nostro humiliter exposuerit, quod episcopatum Egitaniensem magna ex parte a provincia de Beira superiori, et inferiori usque ad Extremaduram spatio trigintaquinque leucarum se protendat, et incipiendo a Serra, et Estrella, ac terris ibi adjacentibus cum episcopatibus Visensi, et Lamacensi ac Colimbriensi fines habens contendat intus hujusmodi provinciam ab Extremadura per Onvedoiram de Abrantes cum prioratu de Crato nuncupato ordinis militaris sancti Joannis Jerosolymitani, et cum dignitate prælatura nuncupata de Thomar alterius ordinis militaris Domini Nostri Jesu Christi, ejusque amplum territorium contineat septem magnos archidiaconatus, qui juxta idioma ipsius provinciæ de Beira archipresbyteratus nuncupantur.

Deprehenditur quomodo sit impossibile ut unus pastor tantam diœcesim custodire possit, et illius divisio imploratur.

§. 2. Ipso vero serenissimo rege provide perpendente impossibile fore, quod unus dumtaxat pastor tam multiplicem gregem succurrere, illumque, prout convenit, et necesse est cognoscere possit, proinde valde proprium esse diœcesim Egitaniensem ita in sua extensione excedentem per summum Pontificem dividi; propterea que idem excellentissimus dominus minister plenipotentiarius nomine ipsius majestatis suæ obsequiosas porrexit Sanctitati Suæ preces, ut alteram ecclesiam cathedralem ejus auctoritate apostolica erigere dignaretur, taliter ut episcopatui Egitaniensi remaneat civitas Egitaniensis cum suo districtu, ac tribus archidiaconatibus de Cerolico, de Conilhà, et de Penamajor, sicque modernus, et pro tempore existens episcopus Egitaniensis habeat pro sua diœcesi, et episcopali jurisdictione centum octuaginta unam parochiales sive loca, reliquis autem infrascriptis pro nova erigenda diœcesi Castrialbi nuncupanda assignatis remanentibus.

Pontifex divisionem approbat de consensu episcopi Egitaniensis, sub aliquibus cauthelis.

§. 3. Eadem Sanctitas Sua piis rationabilibusque dicti serenissimi regis fidelissimi votis benigne annuendo motu proprio de ipsius majestatis suæ consensu, et respective moderni episcopi Egitaniensis, præstito sin minus coram infrascripto executore literarum apostolicarum, præstando, eoque irrationabiliter denegato supplendo perpetuo dismembravit a diœcesi Egitaniensi nobilem villam Castrialbi (quam ipse serenissimus rex ad hunc effectum in civitatem declaravit) ejusque archidiaconatum Castellobramo nuncupatum, et alios duos archidiaconatus unum videlicet de Monsancto, alterum vero de Onvedoira de Abrantes septuaginta novem parochiales sive loca in se continentem; et suppressit ecclesiam parochialem sancti Michaelis arcangeli in dicta villa Castrialbi magnifice constructam, absque tamen ullo præjudicio moderni illius rectoris, cui ejus vita naturali durante, seu donec, et quousque modernus ipse rector de aliis redditibus ecclesiasticis canonice provisus fuerit remanere debebunt integri omnes illius fructus, eamque sic suppressam erexit in cathedralem ecclesiam sub eodem titulo, quem eadem parochialis suppressa in præsens habet, sive alio titulo ad placitum dicti serenissimi regis designando pro uno episcopo Castrialbi nuncupando qui omnibus episcopalibus insigniis, et honoribus episcopis de jure competentibus gaudeat, et pro ejus diœcesi assignavit dictam civitatem Castrialbi ubi residebit, et pro palatio episcopali magnam domum in ipsa civitate Castrialbi a bo. mem.

Joanne de Mendonæa dum viveret episcopo Egitaniense, seu alterius diœcesis ædificatam, et alterius dicti tres archidiaconatus Castrialbi, de Monsancto, et de Onvedoira de Abrantes ab eadem diœcesi Egitaniensi ut præfertur dismembratos cum omnibus, et singulis ecclesiis, vicariis, parœciis, beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis sæcularibus, et regularibus in dicta civitate Castrialbi, et prædictis tribus archidiaconatibus ut præfertur dismembratis existentibus, et commorantibus.

Et erigit episcopatum Castrialbi nuncupatum.

§. 4. Ita quod prædicta civitas Castrialbi cum prædictis tribus archidiaconatibus, ut præfertur dismembratis, aliisque omnibus, et singulis supradictis remaneant in futurum subjecta episcopo Castrialbi prout hactenus fuerunt snbjecta episcopo Egitaniensi cui jurisdictio ut antea super reliquis in præsenti dismembratione non comprehensis illæsa remanebit.

Et ecclesiam Castrialbi subjecit patriarchæ Lisbonensi.

§. 5. Et subjecit dictam ecclesiam Castrialbi patriarchæ Lisbonensi tamquam patriarchalis ecclesiæ Lisbonensis suffraganeam eisdem modo, et forma quibus ecclesia Egitaniensis nunc suffragatur, et ut dicta ecclesia Castri albi suum proprium habeat capitulum, in ea etiam erexit illum numerum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum sub suis tamen congruis, et convenientibus, ac a jure approbatis denominationibus, titulis, et innovationibus, quem infrascripti redditus applicandi permittent; et applicavit pro dote ecclesiæ episcopalis, et dignitatum, ac canonicatuum, et dimidiorum canonicatuum, ac cappellaniarum nt præfertur erectarum, et erectorum, redditus provenientes ex effectibus ut supra dismembratis, et reservavit etiam pro hac prima vice juspatronatus regium tam super nova cathedrali, quam ut præfertur, erectis dignitatibus, canonicatibus, ac cappellaniis favore dicti regis, et successorum cum facultate capitulo novæ cathedralis condendi statuta, et gaudendi privilegiis ad instar aliarum cathedralium regni Portugalliæ, non tamen titulo oneroso acquisitis.

Executor literarum apostolicarum deputatur nuntius apostolicus.

§. 6. Et deputavit in executorem literarum apostolicarum R. P. D. nuncium apostolicum apud ipsum serenissimum regem fidelissimum commorantem, qui per se, sive per alium, seu alios in sui locum subrogandum vel subrogandos habeat omnimodam facultatem, et auctoritatem statuendi servitium in nova ecclesia cathedrali, ejusque choro præstandum, et numerum illius capitularium ad vires redditunm locorum dismembratorum, et assignandi, ac firmandi fructus tam favore novæ cathedralis, quam futurorum capitularium in ea proportione, et differenti graduatione, quam ipse justius judicabit cum omnibus aliis, et singulis facultatibus necessariis, et opportunis ad effectum agendi quidquid sibi videbitur expediens, et consentaneum, etiamsi in literis apostolicis non expressum, et specialem individuamque mentionem requirens pro præsentis gratiæ exequutione, omnia tametsi cum consilio, et consensu præfati regis, et cum derogationibus necessariis, et opportunis, ac præsertim, quatenus opus sit, consensu capituli Egitaniensis, et decreto, quod taxa novæ cathedralis describi debeat in libris Cameræ apostolicæ in tertia parte florenorum, quæ ab ipsa ecclesia Egitaniensi dismembratur videlicet in florenos 333. 1/3, et taxa ecclesiæ Egitaniensis quæ adpræsens in dictis libris nempe in florenos 1000. descripta reperitur, pro dicta tertia parte ab illa dismembrata minui, et reduci debeat, et in eisdem libris taxa prædicta ecclesiæ Egitaniensis in florenos 666 1/3 de novo describatur.

Præcipitur ut expediantur literæ apostolicæ, et decretum inseratur in actibus congregationis consistorialis, sub lege quod gratia in exemplum non transeat.

§. 7. Eademque Sanctitas Sua mandavit expediri literas apostolicas concessionis hujusmodi in forma Brevis sub annulo piscatoris attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus ea tamen lege ne transeat in exemplum, nec pro exemplo omnino allegari valeat, et hujusmodi decretum referri inter acta sacræ congregationis. Datum Romæ hac die septima Junii MDCCLXX.

Datum die 15 Junii 1770 Anno II.

## LXXII.

Confirmatio nonnullarum reformationum a ministro, et definitorio provinciæ Castellæ ordinis S. Francisci de Observantia factarum super numero lectorum, aliisque respicientibus studia dictæ provinciæ.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Illa, quæ ad feliciorem directionem studiorum pro iis præsertim, qui sub religionis habitu Domino famulantur, prudenter, ac provide statuta esse dignoscuntur, ut illibata persistant, apostolicæ confirmationis robore, dum id a Nobis petitur, libenter communimus.

Expositio precum ut consequatur approbatio decretorum jam latorum pro meliori studiorum regimine.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum commissarii generalis familiæ ultramontanæ, ministri, ac fratrum definitorii provinciæ Castellæ ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi serio animadvertentes, tot modo extare lectores dispersos per varios conventus ejusdem provinciæ, ut aliqui ex eis vel nullum, vel paucos auditores habeant; hac de re ne studiorum utilitas, quæ ad plurium simul studentium exercitationem non leviter procedit, imminuta remaneat, lectores hujusmodi imminuere, aliasque reformationes studia hæc respicientes in duodecim capitibus contentas statuere decreverunt. Harum vero reformationum tenor est qui sequitur, videlicet.

Tenor primæ resolutionis.

§. 3. I. In duobus tantum, scilicet in Complutensi sanctæ Mariæ a Jesu, vulgo sancti Didaci, et in Tolentano sancti Joannis Regum nuncupatis conventibus lectores artium, seu philosophiæ ita constituantur, ut anno quolibet unus pro unoquoque conventu destinentur, quorum lectorum ingressus, non a capitulorum, seu congregationum provincialium temporibus, sed solum a novi anni scholastici initio dependeat.

Tenor secundi decreti.

§. 4. II. In memoratis conventibus tres etiam sacræ theologiæ lectores habeantur, in quorum numero, quoad conventum Complutensem minime comprehensi censeantur duo cathedrarum illius academiæ moderatores, qui ex præfatis ordine, et provincia adsumi solent; hi enim jubilationem in lectura consequi debent suas cathedras moderando, et academiæ functiones explendo.

Tenor tertii decreti.

§. 5. III. Insuper utrobique alii quoque duo assignentur lectores cum jure ad jubilationem; quos per tres annos ante philosophiam, et quidem laudabiliter legisse constiterit: eorum unus mane, aut vespere de morali, alter vicissim de sacris scriptura, et canonibus alternatim per tres continuos annos lectiones habeant ad auditores, qui per triennium sacram theologiam jam audiverint; et lectores præfati annis singulis actum publicum literarium exponere, ac sabbathinas, et mensuales cum aliis lectoribus conferentias de suis respective materiis habere teneantur.

Tenor quarti decreti.

§. 5. IV. Itaque in conventu Complutensi simul, eodemque tempore tres philosophiam, sive unus logicam, alter physicam, et tertius methaphysicam; alii tres sacram theologiam; ac duo alii moralem, sacramque scripturam, aut canones docentes lectores respective commorentur, præter duos cathedrarum academiæ moderatores: in Toletano vero conventu totidem, duobus demptis cathedrarum moderatoribus, lectores degant; salva tamen semper definitorio provinciali pro tempore facultate, attentis præsertim, quæ evenire possint, circumstantiis, alium, seu alios in alterutrius, seu utriusque locum subrogandi conventus.

Tenor quinti decreti.

§. 7. V. In conventu etiam sancti Francisci Matritensi propter necessitatem consultationibus respondendi, præter lectorem ibi jam constitutum, alter quoque habeatur, cum jure pariter ad jubilationem, qui moralem itidem legat: neuter tamen hujusmodi assequi valeat lecturam, nisi saltem per octo ante annos sacram theologiam in aliis conventibus legerit; ita namque maturitate, et doctrina pleni in responsis reddendis deprehendentur. His vero indulgetur, ut unus mane, alter vespere prælectiones habeat; uterque tamen ad ea omnia adimplenda teneatur, quæ lector antea ibi assignatus juxta ordinis statuta ad jubilationem obtinendam explere tenebatur.

Tenor sexti decreti.

§. 8. VI. Denique alius moralis lector cum jure quoque ad jubilationem constituatur in conventu arbitrio definitorii seligendo, ut rejectos in examine a studiis philosophicis, seu theologicis moralem saltem facultatem doceat; dummodo sabbathinas, et mensuales conferentias, ac annualem publicum de morali actum habere non omiserit.

Tenor septimi decreti.

§. 9. VII. Quoniam vero triennium philosophiæ ad sæculares auditores computari posset ad jubilationem, ubi constaret, hujusmodi lectores discipulis non caruisse, eosque philosophicis studiis vere, et cum profecto excoluisse, neque in minimo ab iis exercitiis cessasse, quæ ab ordinis statutis in legentibus philosophiam ad auditores religiosos præscripta sunt; eodem proinde jure ad jubilationem gaudeant qui a definitorio pro sæcularibus destinentur philosophiæ lectores.

Tenor octavi decreti.

§. 10. VIII. Præter lectores, sic, ut præfertur, destinandos, non alii, (uno dempto lectore, qui pro recollectis constituatur) lectiones cum jure ad jubilationem obtinendam permittantur.

Tenor noni decreti.

§. 11. IX. Quoad literaria ab omnibus lectoribus, tam philosophiæ, quam theologiæ, moralis item, sacræque scripturæ, aut canonum in duobus studiis generalibus exercitia peragenda, exacte, et ad unguem observentur, quæ de philosophiæ, ac theologiæ lectoribus præscripta leguntur in Samaniegana statutorum ordinis compilatione §. V. fol. 136., exceptis superius præscriptis, sub poena amissionis juris ad jubilationem: ita ut necessario teneantur ad exponendum singulis annis actum publicum de suis respective materiis; prout etiam ad indispensabiliter interessendum circulis quotidianis a studentium magistro præsidendis, distributis in eis justo ordine theologicis conclusionibus disputandis; sabbathinis quoque turnatim, et mensualibus ab omnibus respective lectoribus præsidendis conferentiis, ac servata inter eos proponendorum argumentorum vice in omnibus prædictis functionibus; quacumque contraria consuetudine non obstante, quæ potius abusus, et corruptela generali adversa statuto declaratur.

Tenor decimi decreti.

§. 12. X. Ex theologiæ lectoribus unus scholasticam, alter dogmaticam, et tertius de historia ecclesiastica alternis vicibus, anno quolibet, horis tamen distinctis, suas prælectiones respective agat. Itaque sic dividatur lectura, ut primo triennio philosophiam; secundo moralem, jus canonicum, sacramque scripturam; sequente quinquennio theologiam scholasticam; inde per duos annos historiam ecclesiasticam; et per duos postremos dogmaticam respective doceant. Non ita tamen hujusmodi annorum distributio erit accipienda, ut qui ultra philosophiæ triennium, de una tantum ex prædictis facultatibus per duodennium servatis servandis legerit, jubilationem non essequatur: quinimmo, dummodo id non ex lectoris industria, sed ex rationabili causa a definitorio approbata veniat, vere jubilatus habeatur.

Tenor undecimi decreti.

§. 13. XI. Ad prædicatoris munus gerendum nemo deinceps adspirare valeat, nisi per triennium philosophiam, aliud triennium theologiam, ac demum per alios tres annos moralem, et lectiones de sacris scriptura, et canonibus audiverit; sublata cuicumque etiam definitorio provinciali, et superiori generali aliter dispensandi facultate, etiam cum eis, qui theologicos actus publicos exposuerint; nisi præterea in aliis duobus distinctis publicis actibus morales, et de sacris scriptura, aut canonibus theses sustinuerint.

Tenor duodecimi decreti.

§. 14. XII. Inhærendo sacræ congregationis de Propaganda fide mandato sanctæ memoriæ Urbani VIII. decreto edito, tres saltem, quatenus capaces habeantur, linguarum lectores, sive conjunctim, sive divisim in Complutensi, Toletano, et Matritensi conventibus constituantur; unus pro hebraica, alter pro vernacula, et cultiori græca, ac tertius pro arabica linguis edocendis, iisdemque tam ipsi, quam eorum discipuli privilegiis fruantur, quæ in præcitato statuuntur decreto.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo disposita in eisdem reformationibus ad conservandum, augendumque memoratæ provinciæ decorem per lectores, ac prædicatores doctrina præstantes a studiis hujusmodi seligendos, firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis oppurtune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 15. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentet, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratias absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum consilio, et attenta relatione dilecti filii Nostri Aloisii Mariæ Sanctæ

Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Torrigiani nuncupati ejusdem ordinis apud Nos, et Sedem apostolicam protectoris super præmissis ipsis cardinalibus facta, præinsertas reformationes auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si quid desuper intervenerit, supplemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulæ salutares, et præservativæ.

§. 16. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 17. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§. 18. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima quinta junii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

## LXXIII.

Dat. die 17. Junii 1770. Anno II.

Confirmatio capitulorum super jure congruo in venditionibus bonorum servando, et revocatio Brevis sa. mem. Pii V. illud denegantis pro civitate, et districtu Foroliviensi.

### Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur quid Pius papa V. decreverit ad preces comunitatis Foroliviensis super jure congruo nuncupato.

§. 1. Alias sanctæ memoriæ Pius pp. V. prædecessor Noster ad preces communitatis, et tunc existentium hominum civitatis Nostræ tunc suæ Foroliviensis asserentium legem claræ memoriæ Friderici imperatoris de jure congruo nuncupatam dudum publice ibidem receptam, et in eamdem civitatem, ejusque tribunalia introductam, atque cujus receptionem, et introductionem felicis recordationis Paulus papa IV. itidem prædecessor Noster confirmaverat, varias lites, gravissima odia, et inimicitias capitales, aliaque incommoda in civitatem prædictam intulisse, memoratam legem ab iisdem communitate, et civitate, ejusque territorio auctoritate apostolica perpetuo abstulit, illamque revocavit, abrogavit, omnesque ab ejus observantia absolvit, et liberavit, ac alias prout in ejusdem Pii prædecessoris in simili forma Brevis die xvii. junii MDLXIV. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Expositio novarum precum super eadem re.

§. 2. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii communitas, ac moderni homines civitatis prædictæ Foroliviensis, odia, dissidia, et capitales inimicitiæ, quæ antiquitus inter proprios cives vigebant, modo, benedicente Domino, extincta penitus sint, atque ex novissima dicti territorii mensura constiterit, quamplura in eo reperiri petia terrarum admodum exigua, et ad diversos respective eorum dominos pertinentia, quæ, illorum attenta parvitate, commodam, utilemque culturam assequi minime possunt, ac propter foveas, et itinera, quæ in illis omnibus colendis necessaria sunt, aquarum cursus ita præpeditus remanet, ut aeris incolumitati quam maxime officiat; idque potissime tribuendum sit omnimodæ libertati in territorio hujusmodi possidentium, qui duobus ab hinc sæculis suspensa, vigore

prædictarum literarum lege, ac dispositione juris congrui, bona sua proprio arbitratu cuilibet, non vero anditis vicinis possessoribus, qui illa emere, et cum propriis bonis unire simul voluissent, vendiderunt, et alienarunt: quapropter, ut paulatim, ac eo meliori, quo fieri possit, modo ejusmodi mala avertantur, et deficiant, dicti exponentes, assentientibus, et probantibus dilectis filiis deputatis a clero sæcnlari, et regulari dictæ civitatis, legem juris congrui ejusmodi restituere, nonnullaque capitula eamdem legem respicientia conficere curarunt; horum vero capitulorum tenor est, qui sequitur.

Tenor novæ legis conditæ super jure congruo.

§. 3. Legge sopra il jus congruo stabilitasi nel consiglio generale della città di Forlì li 26 settembre 1769, e dalla congregatione della tabella li 30 del detto mese, essendovi ancora presenti gli signori deputati del clero secolare, e regolare, che ne diedero la loro approvazione.

Statuimus etc.

Che chiunque vorrà vendere case, terre, vigne, prati, orti, o altri beni immobili posti nella città, territorio, o distretto di Forlì, sia tenuto, prima di procedere alla vendita, d'invitare per pubblica scrittura tutti li confinanti alle case, terre, o beni immobili da vendersi, sotto la pena di nullità di dette vendite; dichiarandosi col presente statuto, che l'invitare per scrittura pubblica s' intenda, che il venditore debba levare una intimazione dagli atti del tribunale del nostro podestà, o del tribunale ecclesiastico, facendola presentare agli respettivi confinanti, o alle loro case, o in mano de' loro domestici.

E quando fra confinanti vi fosse qualche cittadino abitante fuori di città, territorio, e distretto, avendosi in ciò riflessione all' interesse del venditore; questi soddisfaccia alla presente legge statutaria, se farà intimare detto confinante, abitante fuori di città, suo territorio, e distretto, con pubblica notificazione levata dagli atti come sopra, con farla pubblicare ed affiggere nei luoghi soliti, ove si affiggono bandi, e notificazioni: e tuttociò s' intenda sempre unicamente per quello riguarda i confinanti cittadini, territoriali, o distrettuali; volendo, e dichiarando, che colla presente legge non s' intende di giovare, nè comprendere li confinanti forestieri di altre città, territorio, e distretto, ai quali dovrà sempre, in vigore del presente statuto, preferirsi un cittadino, un territoriale, o distrettuale di Forlì, che volesse comprare.

Item si stabilisce, ed ordina, che se un forastiero possidente volesse vendere beni immobili posti nella città, territorio, o distretto di Forlì, debba egli fare affigere la notificazione levata dagli atti, e colle leggi, come sopra, prescritte; col dippiù, che un compratore cittadino, territoriale, o distrettuale di Forlì non confinante col venditore, sia preferito in competenza di un confinante forastiero.

Item si ordina, e stabilisce, che invitati dal venditore tutti li suoi confinanti sia preferito alla compra

1.° Quel confinante, che fosse della stessa agnazione del venditore, benchè di minor confine degli altri possidenti adjacenti.

2.° In caso di due agnati alla compra concorrenti sia preferito chi sarà in grado più stretto, secondo il jus canonico; e in caso di grado eguale, chi avrà maggiore estensione di confine; e in caso di uguaglianza di confine, chi avrà la sua possidenza più vicino alla città.

3.° Sia preferito chi da più lati confinerà colle terre, e beni immobili da vendersi.

4.° Quello, che avrà maggiore estensione di confine ai lati del venditore, e non già chi avrà maggior possidenza.

5.° Sia preferito in caso di due confinanti eguali quello, che sarà più vicino alla città.

Item si prescrive, ordina, e stabilisce, che qualora il cittadino territoriale, e distrettuale abitante in città, e contado, non avrà in termine di giorni quindici dal dì della intimazione, o notificazione, dichiarato di volere esso acquistare le case, terre, o beni immobili a lui confinanti, possa, chi vorrà vendere, stabilire, e concludere la vendita con chi più gli parerà, e piacerà; sempre intendendosi, che sia preferito al forastiero il cittadino territoriale, o il distrettuale di Forlì.

Inoltre si dichiara, e stabilisce, che (chiunque vendendo contro la forma del presente statuto) abbia jus, e ragione il confinante espresso nelle leggi di sopra, di rivendicare nel termine di un'anno dal dì della stipolazione dell' istromento, la casa, terra, o altri beni immobili venduti, rimborsando al compratore il prezzo sborsato

nell'acquisto suddetto, e subentrando nelle di lui ragioni: e lo stesso s' intenda anche ne'contratti di vendita, che per eludere lo statuto presente, si facessero per scrittura privata; nel qual caso non s' intenda solo il termine di un'anno, ma qualunque indeterminato termine, e allorquando sarà fatta palese al vicino la vendita seguita per mezzo di privata scrittura.

Finalmente, giacchè una tal legge ora si è creduta cotanto necessaria per essersi osservata una gran parte del territorio diviso in pezzi così piccoli, e di sì irregolare figura, che impedisce non solo lo scolo felice delle acque con danno anche della salubrità dell' aria, attese le molte carrare, che si hanno a fare da coloni, per andare a coltivare sì piccoli pezzi di terra; ma molto più ancora perchè non può farsi giammai una giusta, e regolare coltivazione, dal che ne deriva un notabile danno al principato. Si stabilisce perciò, affinchè dal procurare un tal beneficio, non abbiano a nascere de' litigj inutili, e dannosi; che qualunque questione potesse nascere per le vendite fattesi a tenore di tal legge, abbia ad essere decisa (rimossa qualunque appellazione a qualsisia tribunale) e terminata sommariamente sine strepitu, et figura judicii, et sola facti veritate inspecta o dal nostro podestà, o dal signor vicario generale della curia ecclesiastica; per il quale effetto, come altresì per lo ristabilimento della legge suddetta, la suprema autorità del sommo Pontefice se ne implora umilmente.

Exoptatur apostolica sanctio, ut suam habeat lex firmitatem.

§. 4. Ut itaque capitula hujusmodi vim obtineant, ac firmius subsistant, et serventur exactius, dicti exponentes memoratas ejusdem Pii prædecessoris literas per Nos revocari, et capitula prædicta apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Et prævia absolutione a censuris capitula Pontifex sua confirmat auctoritate.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione, et voto dilecti filii Nostri Vitaliani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsbyteri cardinalis Borromei nuncupati, Nostri, et apostolicæ Sedis in provincia Romandiolæ, et exarchatu Ravennæ de latere legati, prædictas ejusdem Pii prædecessoris literas die decima septima junii MDLXIV., ut præfertur, expeditas, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium revocamus, annullamus, et abrogamus, ac pro revocatis, et abrogatis haberi volumus, et mandamus, necnon præinserta capitula auctoritate, et tenore prædictis confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, facti, et solemnitatum defectus supplemus, et sanamus; ita tamen, ut judex causarum ejusmodi juris congrui esse respective debeat pro tempore existens gubernator, æque ac podestas ejusdem civitatis, atque ut super causis istis exequendum omnino sit judicatum judicis primæ instantiæ, quacumque appellatione, vel recursu remotis, nisi tamen intercesserit inhibitio manu Nostra, vel dicti, et pro tempore existentis legati hujusmodi signata, qua ad appellationem admittendam, vel ad alium justum intentum exequutio fuerit suspensa, atque ita capitula prædicta servanda, et exequenda, municipales leges inserendas esse volumus, præcipimus, et mandamus.

Et præcipit ut constitutio servetur continuo, et nullus judex aliter quam in ea decretum, statutumque est judicare audeat, vel possit.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nullius ponderis declaratur quidquid in contrarium facere posset.

§. 7. Non obstantibus præfatis ejusdem Pii prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clau-

sulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima junii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 4. Julii 1770. Anno II.

## LXXIV.

Extensio indulti juris nominandi ad nonnullas alias inferiores dignitates metropolitanæ, et unius collegiatæ ecclesiæ Cameracensis pro archiepiscopo Cameracensi.

Venerabili fratri Leopoldo Karolo archiepiscopo Cameracensi.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Benedictus XIV. indulsit regi francorum jus præsentandi, et nominandi ad dignitates majores ecclesiæ Cameracensis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod alias felicis recordationis Benedictus PP. XIV. prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die xi. novembris MDCCXLIX. expeditas literas carissimo in Christo filio Nostro Ludovico francorum regi christianissimo, suisque successoribus eorumdem francorum regibus itidem christianissimis jus providendi, et nominandi ad præposituram dignitatem majorem metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis, et ad dignitates principales valorem annuum decem florenorum auri de Camera communi æstimatione excedentes in singulis collegiatis ecclesiis civitatis Cameracensis dumtaxat, nec non ad illius, et earum canonicatus quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum apud Sedem apostolicam, et in romana curia) vacantes tunc, et in posterum vacaturos in januario, martio, majo, julio, septembri, et novembri mensibus semper Sedi prædictæ reservatis vigore concordatorum dudum inter Sedem eamdem, et inclytam nationem germanicam initorum, quæ in dicta civitate Cameracensi servantur, sub certis modo, et forma tunc expressis, concessit, transtulit, et reservavit, ita tamen, ut idem Ludovicus rex, et ipsius successores prædicti, tam memoratam præposituram, quam dignitates principales, et canonicatus hujusmodi pro tempore vacantes personis sibi gratis, et acceptis, ac vitæ integritate, religione, et doctrina præstantibus concedere possent, et valerent; de eis autem provisi infra tres menses a die factarum provisionum computandos literas apostolicas sub plumbo in totum expedire tenerentur, et alias prout in ejusdem Benedicti prædecessoris literis prædictis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Rex autem gallorum jus hujusmodi, annuente Pontifice, transtulit in episcopum Cameracensem.

§. 2. Postmodum vero cum idem Ludovicus rex in jus nominandi ad præposituram, dignitates principales, et canonicatus prædictos te in suum, suorumque successorum locum subrogare, et substituere plurimum desideraret, ejusque ad id expressus accederet consensus; Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die xxii. decembris superioris anni MDCCLXIX. expeditas literas te, quandiu vixisses, et ecclesiæ Cameracensi hujusmodi præfuisses, in jus nominandi ad præposituram, et dignitates principales prædictas tantum, atque ad canonicatus hujusmodi quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum apud dictam Sedem, seu in romana curia) vacantes substituimus, posuimus, et subrogavimus, et alias prout in eisdem Nostris literis, quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Jus autem hujusmodi pro eodem episcopo prorogandum esse ad inferiores dignitates, quæ enumerantur, idem Ludovicus rex exoptavit.

§. 3. Verum quia in memoratis ejusdem Benedicti prædecessoris, et Nostris literis specialis, ac individua mentio quatuor inferiorum dignitatum, quæ archidiaconatus nuncupantur dictæ metropolitanæ ecclesiæ facta minime reperitur, hac de re easdem quatuor dignitates in literis prædictis nequaquam comprehensas esse credidisti. Quocirca quamvis occasione vacationis unius ex quatuor inferioribus dignitatibus archidiaconatus nempe de Brabant nuncupatis dictæ metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis secutæ mense novembris anno MDCCLXI., et alterius vacationis, quæ evenit mense martio anno MDCCL. inferioris pariter dignitatis scholastriæ

nuncupatæ ejusdem metropolitanæ ecclesiæ apostolicæ provisionis literæ quoad dictum archidiaconatum favore Josephi Ignatii de Salvan de Chenesille, et quoad præfatam scholastriam favore Roberti Fitzmaurice, qui ambo ab eodem Ludovico rege vigore primodictarum literarum memorati Benedicti prædecessoris ad inferiores dignitates hujusmodi nominati reperiebantur, expeditæ fuerunt, nihilominus ut in posterum semper, ac perpetuo quatuor archidiaconatus dignitates inferiores metropolitanæ ecclesiæ prædictæ iis conferantur viris, qui tibi, tuisque in archiepiscopatu Cameracensi hujusmodi successoribus cogniti, et accepti sint, ac sibi incumbentia munera pro spirituali totius diœcesis Cameracensis administratione, et bono valeant explere, hinc jus providendi, ac nominandi ad quatuor inferiores dignitates prædictas ejusdem ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum apud Sedem, et in romana curia) seu vacantes, seu in posterum in prædictis mensibus dictæ Sedi reservatis vacaturas, tibi, tuisque in archiepiscopatu Cameracensi ejusmodi successoribus per Nos concedi, necnon, ut quamdiu vixeris, et eidem ecclesiæ Cameracensi præfueris tam ad cantoriam, et scholastriam, quæ inferiores itidem dignitates sunt dictæ metropolitanæ ecclesiæ, quam ad scholastriam dignitatem pariter inferiorem collegiatæ ecclesiæ sancti Gaugericii dictæ civitatis nominare, ac de eis quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum, ut præfertur, apud Sedem prædictam) in dictis mensibus sive vacantibus, sive vacaturis providere posse desideras, ita tamen, ut eveniente per cessum, vel decessum, aut alia ex tua persona vacatione metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis jus providendi, et nominandi hujusmodi ad cantoriam, et scholastriam dictæ metropolitanæ ecclesiæ collegiatæ sancti Gaugericii, non quidem ad tuos in archiepiscopatu ejusmodi successores, sed ad eumdem Ludovicum regem, suosque successores prædictos perpetuo spectet, ac pertineat; cumque præmissis omnibus idem Ludovicus rex suum assensum præstiterit, eaque per Nos concedi plurimum cupiat. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex vero votis annuit, et preces in omnibus excepit.

§. 4. Nos igitur ipsius Ludovici regis votis ob singularia, et eximia ejus in Ecclesiam Dei merita libenter annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, tuisque in archiepiscopatu Cameracensi hujusmodi successoribus jus providendi, atque nominandi ad quatuor inferiores dignitates prædictas memoratæ ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis archidiaconatus nuncupatas quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum apud dictam Sedem, seu in romana curia) sive vacantes, sive in posterum quandocumque vacaturas in januario, martio, majo, julio, septembri, et novembri mensibus semper Nobis, et Sedi prædictæ vigore concordatorum hujusmodi reservatis, auctoritate Nostra apostolica, servata in omnibus, et per omnia prædictarum ejusdem Benedicti prædecessoris forma, et dispositione concedimus et indulgemus.

Concessit eidem episcopo ad vitam jus pariter providendi, et nominandi ad cantoriam, et scholastriam.

§. 5. Præterea tibi quandiu vixeris, et dictæ metropolitanæ ecclesiæ Cameracensi præfueris jus pariter providendi, et nominandi ad cantoriam, et scholastriam dignitates itidem inferiores ejusdem metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis, et ad aliam dignitatem pariter inferiorem scholastriam nuncupatam collegiatæ ecclesiæ sancti Gaugericii dictæ civitatis Cameracensis quovis modo, et ex quibusvis personis (non tamen per obitum apud Sedem prædictam, seu in romana curia) vacantes, seu vacaturas in mensibus prædictis eidem Sedi, ut præfertur, reservatis, auctoritate, et tenore prædictis pariter concedimus, et indulgemus.

Mortuo autem archiepiscopo jus hujusmodi non ad ejus successores, sed ad ipsum regem pertinere debere Pontifex declarat.

§. 6. Volumus autem, ut eveniente per cessum, vel decessum, aut alias ex tua persona vacatione metropolitanæ ecclesiæ Camerscensis prædictæ jus providendi, et nominandi ad cantoriam, et scholastriam ejusdem metropolitanæ ecclesiæ, et ad scholastriam prædictæ collegiatæ ecclesiæ sancti Gaugericii, non quidem ad tuos in archiepiscopatu hujusmodi successores pertineat; sed illud ad ipsum Ludovicum regem, suosque successores in omnibus, et per omnia juxta formam, et dispositionem prædictarum literarum memorati Benedicti prædecessoris pertinere debere

decernimus, et declaramus; ita tamen, ut tu, et in archiepiscopatu prædicto successores tui vigore præsentium quatuor archidiaconatus inferiores dignitates ejusdem metropolitanæ ecclesiæ in dictis mensibus sive vacantes, sive pro tempore quocumque modo (non autem per obitum apud Sedem, sive in romana curia) vacaturas personis tibi, eisque respective gratis, et acceptis concedere, et tam tu quamdiu vixeris, ac ecclesiæ metropolitanæ prædictæ præfueris, quam deinde idem Ludovicus rex, ejusque successores prædicti ad cantoriam et scholastriam ejusdem metropolitanæ ecclesiæ, ac ad scholastriam collegiatæ ecclesiæ prædictæ sancti Gaugericii in eisdem mensibus pariter seu vacantes, seu pro tempore quovis modo (non tamen per obitum apud Sedem, sive in romana curia) vacaturas personis tibi, ac respective eidem Ludovico regi, suisque successoribus hujusmodi gratis, et acceptis quoque concedere, et de illis omnibus providere libere et licite possis, et valeas, tuique successores prædicti, ipseque Ludovicus rex, ejusque successores præfati libere et licite possint, et valeant respective.

Clausulæ salutares.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis inviolabiliter, et inconcusse observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis prædictæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus inferiorum dignitatum prædictarum reservationibus, seu affectionibus apostolicis per quoscumque romanos Pontifices prædecessores Nostros, et Nos, et Sedem eamdem quomodolibet factis, nec non cancellariæ apostolicæ regulis, ac quibusvis aliis apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum ut provisi de dignitatibus apostolicas expediant literas infra tres menses.

§. 10. Volumus autem, quod earumdem inferiorum dignitatum, seu vacantium, seu pro tempore, et quandocumque vacaturarum provisi infra tres menses a die factarum provisionum computandos literas nominationis, concessionis, et provisionis, ut præfertur, obtentæ, Nostro, et pro tempore existenti datario, et datariæ Nostræ apostolicæ exhibere, et successive super inferioribus dignitatibus hujusmodi, ut præfertur, providendi, et designandi literas apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac jura Cameræ apostolicæ, et aliis propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin dictis tribus mensibus elapsis, de dignitatibus hujusmodi sic vacantibus per Nos, seu romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem prædictam libere disponi possit. Cæterum hujusmodi voluntatis Nostræ in literis nominationis, et provisionis vigore præsentium respective faciendæ mentio fiat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quarta julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 4. Julii 1770. Anno II.

## LXXV.

Alternativa in electionibus provincialis, aliorumque officialium ordinis sancti Francisci revocatur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ea semper fuit humanarum rerum conditio, ut nil ita provide, ac simul firmiter constitui possit, quod nulla unquam temporum varietate debeat mutari. Quapropter circumspecta romani Pontificis providentia, quæ dudum certis rationabilibus ex causis pro recto gubernio illorum, qui divinis obsequiis sub regulari instituto mancipati reperiuntur constituta fuerunt, interdum moderatur, et quandoque etiam pluries immutat, quemadmodum sublimium personarum vota exposcunt, et in Domino conspicit salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum ab Josepho Portugalliæ, et Algabiorum rege fidelissimo.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ et Algabiorum regis fidelissimi Nobis nuper expositum fuit, quod dudum in provincia tertii ordinis minorum sancti Francisci Portugalliæ tum regularis observantia, tum etiam studia plurimum florebant, neque ulla tunc alternativæ lex in electionibus servabatur; lapsis vero jam tribus sæculis, in capitulo habito anno MDCXXIX. sub die xv. decembris novus hic eligendi modus primum admissus fuit, idque ea porro de causa, ut scilicet partium studia vitanda essent, atque, ut hoc modo præscripta electionis forma, officia, eorumque patentes literæ nuncupatæ in certa tantum, ac determinata fratrum hujusmodi portione, perpetua minime redderentur; sed propter inordinationes, quæ constitutam hanc alternativæ legem sunt subsecutæ, die iv. martii MDCXLVIII. in hac alma urbe alternativus eligendi modus remissus, abrogatusque fuit, illumque deinde die xxiv. octobris MDCL. quondam Daniel Dongo tunc temporis generalis ejusdem ordinis penitus revocavit.

Enumerantur incomoda quæ manant a lege super alternativa electione.

§. 3. Mutato tamen consilio, in alio subsequenti capitulo tunc existentes electores alternativæ legem hujusmodi iterum præscribendam esse curarunt, eamque reipsa decreverunt, ac felicis recordationis Alexander pp. VII. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xxvi. junii MDCLXIII. expeditas literas, legem alternativæ hujusmodi apostolica auctoritate confirmavit, et adprobavit, ac alias, prout in prædictis ejusdem Alexandri literis; quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri. In capitulo vero postmodum habito die xiii. martii anno MDCLXXXVIII. delecta, ac sublata fuit dictæ alternativæ lex, in id condito statuto, quo cautum reperiebatur, ut convenientibus fratribus provinciæ in illius abolitione, ea posset omnino abrogari; e contra autem capitulum generale in alma urbe celebratum anno eodem MDCLXXXVIII. sub die v. junii præscripsit, ut alternativæ lex servanda esset, atque juxta legem hanc capitula provincialia celebrata fuerunt sequentibus annis, quibus ita decurrentibus, dictaque lege durante, provincia hujusmodi plures, pluresque ex ea infaustissimos effectus passa fuit: quippe quia, quoad provinciam prædictam alternativæ vis in eo posita dignoscitur, ut ipsa in duas partes dividatur, in unam nempe, quæ major est, et Beiræ Minho, et ultra Montes nuncupatur, ac aliam Extremaduræ, Alentejo, et Algarbiæ, et ultra Mare pariter nuncupatam, ex quibus aliæ subdivisiones latæ, ac amplæ admodum oriuntur, et procedunt; hincque fit, ut in electione provincialis, definitorum, superiorum conventuum, magistrorum, seu lectorum, et studentium arithmetica distributio inter eos sequenda omnino sit, neque unius partis patentes literæ nuncupatæ, alias alterius partis patentes hujusmodi excedere possunt, ac quoties ex una parte provincialis electio secuta sit, illius successor ex alia omnino parte eligi postmodum debeat: magistri itaque, ac studentes, viri doctrina præditi, ac ætate graves unius partis, cum hac servata lege posthabendi sint, pars ipsa hujusmodi grave inde demum patitur, non sine maximo totius provinciæ præjudicio, et res eo perducta videtur, ut fratribus, qui utiliter, ac pro dignitate sibi committenda officia explere possint, dicta provincia minime abundet, ac cæteri studiis operam diligenter, ac assidue dare non curent, dum observata lege alternativæ, æqualitas tantummodo in numero, non autem quoad meritum spectanda est; ex quibus omnibus sane procedunt frequentes omnino perturbationes, quæ decori, ac bono ejusdem provinciæ

quammaxime officiunt, atque, ut experientia compertum est, quisque ex provincialibus pro sua respective parte quærit, ac in ordinis hujusmodi alumnos admittit eos, qui haud bona educatione instituti fuerunt, studiisque operam minime dederunt, et quandoque nec ad regularem vitam vere a Deo vocati sunt, cum ipsi sufficiat eos in parte sua ortos fuisse, ut ex ipsorum numero commodum, ac utilitas sibi acquiratur.

Quæ incomoda cessarent abrogata lege alternativæ electionis.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, maxima hæc omnia mala penitus, dubio procul, cessarent, quoties alternativæ lex a prædictis ejusdem Alexandri prædecessoris literis, et a capitulis generalibus, ac provincialibus ut præfertur constituta penitus, ac omnino tollatur: idem vero Joseph rex pro sua eximia, qua pollet pietate in ordinis, et provinciæ hujusmodi bonum, ac decorem, et in christifidelium utilitatem, eam per Nos revocari, et abrogari plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnem legem super alternativa electione quorumcumque officiorum Pontifex abrogat, et revocat.

§. 5. Nos igitur piis, et vere catholico rege dignis ejusdem Josephi regis votis, quantum cum Domino possumus benigne annuere cupientes, et ejusdem provinciæ fratres specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati: prædictas ejusdem Alexandri VII. prædecessoris literas die vigesima sexta junii MDCLXIII., ut præfertur, expeditas, ac omnia, et singula decreta, statuta, et ordinata in quibusvis aliis prædecessorum Nostrorum romanorum Pontificum literis, et in capitulis tam generalibus, quam provincialibus ordinis, et provinciæ hujusmodi, quibus alternativæ lex in cunctis electionibus quorumcumque officiorum dictæ provinciæ quomodolibet sancita, et præscripta fuit, auctoritate Nostra apostolica, tenore præsentium cassamus, et irritamus, ac irritas, et cassas perpetuo esse decernimus, statuimus, et declaramus; propterea que, ut in posterum electiones ad quæcumque sive majora, sive minora officia hujusmodi quocumque nomine nuncupata provinciæ prædictæ, nullo servato alternativæ modo, sed juxta proprium singulorum meritum faciendas omnino esse volumus, præscribimus, et mandamus.

Clausulæ salutares.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter, et inconcusse observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§. 8. Non obstantibus præmissis, nec non dicti Alexandri prædecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quarta julii MDCCLXX. pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 4. Julii 1770. Anno II.

LXXVI.

Supprimuntur novem monasteria ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, eorumque bona in alios pios usus applicantur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Proœmium.

§. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostræ, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam commissum, postulat, ut inter multiplices apostolicæ servitutis curas, illam peculiari studio complectamur, per quam personæ divinis obsequiis sub regulari instituto mancipatæ ferventius Deo inservire debeant, ac spiritualibus suis, cæterorumque christifidelium proficiant incrementis.

Expositio status congregationis regularium sancti Augustini.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, congregatio canonicorum regularium sancti Augustini Portugalliæ dudum ita instituta fuerit, ut illius alumni, non sibi tantum, solitarie vivendo, sed spirituali etiam aliorum christifidelium saluti sua doctrina, et exemplo eos docendo, atque in literis, bonisque artibus ea, qua religiosos viros decet pietate, et charitate informando, prodesse valerent; et quamvis in ejusdem congregationis primordio ita ipsi vitam duxerint, ut venerationem ingererent in populo, attamen remissa postmodum priore, ac recta vivendi ratione res eo perventa sit, ut antiquam regularem observantiam, remedia per plures annos adhibita, restituere minime potuerint, sed majores in dies superaccesserunt abusus, inordinationes, et excessus cum maximo bonorum omnium scandalo; quæ omnia, attenta potissimum qualitate locorum, in quibus reperiuntur monasteria ejusdem congregationis prorsus dissita a frequentia populi, in posterum, rebus ita manentibus, cessare posse nequaquam sperandum sit, imo metuendum, ne canonici regulares hujusmodi in prædictis locis tam a superioribus suis quam a regia aula longe commorantes vitam otiose ducendo, majora mala, quæ ex otio omnino procedunt, subire cogantur.

Ut mala evertantur, quæ a nimia frequentia religiosorum promanant, nonnullorum monasteriorum suppressio necessaria dignoscitur.

§. 3. Nullum vero tot malis, incommodisque efficacius remedium adhiberi posse dignoscatur, quam quod suppressis nonnullis monasteriis congregationis prædictæ, eorumque redditibus uni tantum, et quidem magno monasterio assignatis, inde benedicente Domino, regularis observantiæ in eo vigor, et in canonicis regularibus hujusmodi congruo numero ibidem degentibus virtus, et doctrina in propriam, ac aliorum christifidelium utilitatem reperiantur, et jugiter permaneant.

Enumerantur monasteria, quæ supprimuntur.

§. 4. Hinc est, quod Nos, qui personarum regularium reformationem, et directionem cum Dei honore, et exemplari vita, divinique cultus augmento intentis desideramus affectibus, præmissis omnibus remedium afferre volentes, aliisque rationabilibus causis animum Nostrum moventibus adducti: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, infrascripta monasteria dictæ congregationis canonicorum regularium sancti Augustini supprimimus, et penitus extinguimus I. nempe sancti Salvatoris de Gryò nuncupatum, et existens in comarcha de Feira Portugallensis diœcesis, quod, cum dudum ob passa damna, et qualitatem loci profundi, humidique extinctum, et in aliud monasterium sancti Augustini de Serra nuncupatum e conspectu civitatis Portugallensis temporibus claræ memoriæ Joannis III., dum vixit Portugalliæ, et Algabiorum regi, translatum fuisse ex decreto tunc temporis existentis episcopi Portugallensis, a felicis recordationis Paulo pp. III. prædecessore Nostro apostolica auctoritate confirmato, et translationi hujusmodi nonnullis regularibus dicti loci de Gryò obsistentibus evenit, ut posthabita extinctione hujusmodi, utrumque monasterium tam de Gryò, quam de Serra cum suis respective separatis redditibus, vigore literarum sanctæ memoriæ Pii papæ V. itidem prædecessoris Nostri clanculum, et subreptitie, ut dicitur, obtentarum usque adhuc quoque existere comperiatur. II. Monasterium de Villa Boa del Vescovo vulgo nuncupatum positum in comarcha, et supra Tamegam Consellio de ben vivere vulgo etiam nuncupatum memoratæ Portugallensis diœcesis: III. Monasterium sancti Martini de Caramos existens in territorio de Guimaraes Bracharensis diœcesis. IV. Monasterium sanctæ Mariæ de Nandim sive Landim nuncupatum per tres leucas circiter a civitate Bracharensi dissitum, et in eadem diœcesi positum. V. Monasterium sancti Salvatoris de Paderne situm in comarcha de Vallença

del Minho etiam nuncupatum. VI. Monasterium sancti Simonis de Junqueira existens in Giudicatura de Faria termine di Barcellos etiam vulgo nuncupatum. VII. Monasterium sancti Georgii prope civitatem Colimbriensem. VIII. Monasterium sanctæ Mariæ de Refoios de Lima nuncupatum situm prope Viannam del Minho. IX. Monasterium denique de Moreira situm in comarcha de Maya, et a civitate Portugallensi prædicta per duas leucas circiter distans.

*Bona monasteriorum suppressorum applicantur regio conventui de Mafra ordinis sancti Francisci de Observantia, monasteriumque declaratur jurispatronatus regis Portugalliæ.*

§. 5. Eorumdemque omnium Monasteriorum sic per Nos, ut præfertur, extinctorum, et suppressorum bona stabilia, et immobilia cujuscumque generis, et speciei illa existant, eorumque fructus, redditus, et proventus regio conventui de Mafra vulgo nuncupatum, in quo fratres ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum sub reformatione sancti Petri de Alcantara ad præsens reperiuntur, unimus, annectimus, et applicamus ad hoc, ut canonici regulares prædicti commodius regularis observantiæ usum alios edocendo, ac imbuendo, in ecclesia, et regni utilitatem servare possint, ac debeant, eumdemque vivendi modum in aliis quoque quatuor monasteriis, quæ magis opulenta sunt, et canonicorum hujusmodi numero in regno prædicto reperta, nempe sancti Augustini prædicti da Serra e conspectu civitatis Portugallensis, ac sanctæ Crucis Colimbriensis, et collegium nuncupatum Sapientiæ in dicta civitate Colimbriensi, nec non monasterium sancti Vincentii de Fora Lisbonensis adhibere pariter possint, ac debeant; prædictumque conventum de Mafra, ut præfertur nuncupatum, quod propter vere singularem magnificentiam, ac vastitatem haud congruum videtur penes prædictos regulares esse, qui summam paupertatem, ac vitæ austeritatem profitentur, quodque a claræ memoriæ Joanne V., dum vixit, Portugalliæ, et Algabiorum rege fidelissimo maxima quidem, et insigni impensa extructum, et ex bonis suis dotatum, nec non a carissimo in Christo filio Nostro Josepho eorumdem Portugalliæ, et Algabiorum rege etiam fidelissimo liberalitate eximia, ac magna pecuniæ vi auctum congregationi prædictæ canonicorum regularium sancti Augustini, ejusdem Josephi regis accedente consensu, concedimus, et assignamus, illudque in monasterium congregationis, et canonicorum hujusmodi erigimus, et instituimus, eidemque Josepho regi, suisque in regnis hujusmodi legitimis successoribus juspatronatus super eo, in monasterium sic instituto, et erecto reservamus, eidemque, et successoribus prædictis jus nominandi priorem, vicarium, et quatuor consiliarios per triennium duraturos concedimus, et indulgemus, atque ad præmissorum effectum a quocumque voto, seu promissione de hujusmodi Mafræ seu parvo conventu construendo pro regularibus singularem paupertatem, et austeritatem servantibus, seu de Caputio vulgo nuncupatis qualitercumque, et quomodocumque facto, et respective emissa, eos omnes, quibus interest, aut quomodolibet interesse possit, quatenus opus sit, absolvimus, et liberamus, ac in monasterii hujusmodi causam illud, et illam etiam respective, motu, scentia, et potestatis plenitudine paribus commutamus, et pro commutatis haberi volumus, et declaramus.

*Executio constitutionis committitur archiepiscopo Elborensi.*

§. 6. Quocirca venerabili fratri Joanni archiepiscopo Elborensi per præsentes committimus, et mandamus, ut omnia, et singula, quæ juxta datam sibi a Domino prudentiam, necessaria, atque opportuna pro executione præmissorum omnium judicaverit, agat, faciat, atque decernat, ita ut non solum in dicto monasterio Mafræ eos canonicos regulares congregationis hujusmodi, qui magis sibi idonei, et opportuni videbuntur, ponere, et constituere ipse possit, sed etiam extinctiones, seu applicationes nonnullas a capitulo generali eorumdem canonicorum vigore quarumdam literarum felicis recordationis Clementis papæ VIII. prædecessoris itidem Nostri (quibus ad id tributa eis erat sive ad tempus, sive in perpetuum facultas) peractas examinare valeat. Præterea eidem Joanni archiepiscopo, res, et bona quæcumque commutandi, ac dividendi, de domibus disponendi, ecclesias, conventus, et sacraria, ac supellectilia, omniaque alia ad monasteria, sicut præfertur, extincta quomodocumque pertinentia, in totum, vel in parte, seu alias quomodolibet favore unius, seu plurium monasteriorum ejusdem congregationis, juxta cujusque majorem, sive minorem necessitatem, seu quemadmodum magis sibi expedire videbitur, assignandi, et incorporandi, atque ex ædificiis eorumdem sic suppressorum monasteriorum aliquas parochiales ecclesias, suis ta-

men respective Ordinariis subjectas, ac in iis locis, in quibus id opportunum esse censuerit, erigendi; nec non fratribus dicti ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatis sub reformatione sancti Petri de Alcantara, atque in prædicto Mafræ conventu actu existentibus, (quatenus ipsi omnes, et singuli, seu aliqui, vel aliquis eorum velit, seu velint) ut dimisso priori ejusdem ordinis habitu, illum congregationis prædictæ libere assumere, illumque gestare, ac professionem regularem per canonicos congregationis hujusmodi emitti consuetam expresse emittere libere pariter, ac licite possint, et valeant, indulgendi, aliaque, et quæcumque tam in præmissis, quam circa earum executionem, et effectum quomodolibet necessaria, et opportuna, et omnia de consilio, et assensu ejusdem Josephi regis faciendi, gerendi, et exequendi plenam, liberam, amplam, et omnimodam facultatem, et auctoritatem pari motu, scientia, et potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et elargimur.

Præcipitur observantia omnium contentorum in præsentibus literis, et quod ipsæ de obreptione, vel subreptione criminari non possint.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, ac omnia, et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, aut ex alia quavis quantumvis legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, seu extra illud uti, aut se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas, et in eis contenta quæcumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios, et quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon congregationis, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die quarta julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 10. Julii 1770. Anno II.

## LXXVII.

Erectio sedis episcopalis Bajensis per dismembrationem a metropolitana Elborensi, cum omnibus privilegiis, et indultis, et instauratione capituli cum suis dignitatibus.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Agrum universalis Ecclesiæ superna cœlestis patrisfamilias præordinatione curæ Nostræ concreditum, omni studio, et industria, quantum Nobis ex alto conceditur custodire, atque excolere jugiter satagentes, vigilis more pastoris in omnes ejusdem Dominici agri partes mentis Nostræ oculos circumferimus, et in iis, quæ illius exactiorem culturam, ex multiplicatis ejus cultoribus, respiciunt, opem, ac operam Nostram libentissime impertimur, præsertim dum sublimium, et excelsorum regum vota id exposcunt, consideratisque locorum, et personarum qualitatibus, expedire in Domino arbitramur.

Petitio porrecta a rege Portugalliæ pro erectione episcopatus.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algabiorum regis fidelissimi nuper Nobis expositum fuit per dilectum filium Franciscum de Almada, et Mendoza commendatorem militiæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusdem Josephi regis apud Nos, et sanctam Sedem ministrum plenipotentiarium, quod cum venerabilis frater Joannes archiepiscopus Elborensis, qui jampridem ecclesiæ Leyriensi spatio annorum tredecim præfuerat, rerum experientia agnovisset ipsum diœcesim prædictam Leyriensem per quinquaginta parochiales, sive loca tantum se protendentem, et tamquam angustis limitibus circumscriptam, gregem sibi ratione dictæ ecclesiæ Leyriensis concreditum facile gubernasse, itaut suis ovibus in spiritualibus opportunitatibus adjumentum præstare, suumque pastorale munus commode explere valuerit; modo autem clare admodum perspiciat, ac noscat, quod ratione archiepiscopalis ecclesiæ Elborensis, quæ de jurepatronatus ejusdem Josephi regis (cui non est hactenus in aliquo derogatum) existit, admodum sibi difficile reddatur ob peramplam ipsius ecclesiæ metropolitanæ diœcesim, cujus major pars usque ad magnam provinciam de Alemtejo, et ab Extremadura usque ad Vendas novas, Coruche, et Bennavente protenditur, populum suæ curæ commissum pari facilitate, et commoditate regere, et moderari minime posse; quocirca idem Joannes archiepiscopus enixe precatus fuit ipsum Josephum regem, ut pro meliori divino servitio, ac spirituali Ecclesiæ, et animarum sibi commissarum bono, novi episcopatus erectio auctoritate Nostra apostolica decerneretur.

Illustre oppidum, et duas comarchas cum pluribus beneficiis assignavit rex pro nova dioecesi constituenda.

§. 3. Ad hunc itaque effectum pro nova diœcesi hac constituenda, antiquum, et illustre oppidum civitatis nuncupatæ de Beja, duasque comarchas, unam videlicet de Ourique, alteram vero de Beja, una cum præsentatione sibi competenti ad triginta beneficia in diversis ecclesiis dicti oppidi civitatis nuncupatæ de Beja sita, et existentia, cum suis decimis, juribus, redditibus, ac quocumque alio proventu, absque ulla reservatione, favore novi episcopatus erigendi, ac futuri illius capituli idem Joannes archiepiscopus cedere, ac renunciare paratus erat, quemadmodum reipsa cessit, et renunciavit. Quibus ex causis idem Josephus rex Nobis humiliter supplicari fecit, ut hujusmodi oppidum civitatis nuncupatæ de Beja, ac prædictas duas comarchas de Ourique, et de Beja a diœcesi metropolitanæ ecclesiæ Elborensis prædictæ dismembrare, et in oppido, seu civitate prædicta sedem episcopalem erigere, atque instituere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget Pontifex erectionem expetitam nonnullis adhibitis reservationibus, et cauthelis.

§. 4. Nos itaque votis ejusdem Josephi regis catholica pietate dignis, ac dicti Joannis archiepiscopi desiderio propensius ac celerius annuere volentes: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, oppidum prædictum civitatis nuncupatæ de Beja, ac memoratas duas comarchas de Ourique, ac de Beja, cujus, et quarum respective territoria, et confines, præsentibus haberi volumus pro expressis, cum omnibus, et singulis ecclesiis, monasteriis, cappellis, et aliis ecclesiasticis, ac piis locis, necnon populo, incolis, habitatoribus, cæterisque ecclesiasticis, et sæcularibus personis, rebus quoque, et bonis eorumdem in dicto oppido civitatis nuncupatæ, ac prædictis comarchis, ipsiusque, et eorum respective territorio, et districtu consistentibus ab episcopali jurisdictione, superioritate, subjectione,

visitatione, et correctione, ac potestate dicti Joannis moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis prorsus eximimus, et perpetuo dismembramus, ipsumque oppidum de Beja in civitatem Bejensem nuncupandam erigimus, et civitatem esse, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari debere decernimus: ac unam ex ecclesiis ibidem existentibus, quam infrascriptus præsentium Nostrarum literarum executor a Nobis deputandus aptiorem, ac decentiorem judicaverit pro meliori, ac commodiori divino servitio in ea a futuris capitularibus præstando, sub eodem titulo, quem nunc habet, sive sub alio ejusdem Josephi regis arbitrio designando titulo, in cathedralem ecclesiam cum omnibus præeminentiis, et prærogativis cathedrali ecclesiæ congruentibus, pariter erigimus, et episcopalis dignitatis honore, ac titulo insignimus; et quatenus ecclesia hujusmodi, quæ in cathedralem, ut præfertur, erecta sit, collativa existat, suumque legitimum habeat possessorem, ad effectum erectionis prædictæ tam illam, quam etiam memorata triginta beneficia, sive simplicia, sive residentialia sint ex nunc, prout ex tunc et e contra cum primum per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet ex persona eorum illam, et illa modo respective obtinentium vacare contigerit, absque tamen ullo præjudicio illius, et illorum possessorum, integris omnibus eorum favore reservatis fructibus ipsorum naturali vita durante, sive usquedum de alio competenti beneficio aliter provisi fuerint, perpetuo pariter supprimimus, et extinguimus: hancque cathedralem ecclesiam erigimus pro uno episcopo Bejensi nuncupando, qui ei præesse valeat, et prodesse, omnibusque insigniis episcopalibus, et honoribus episcopis de jure competentibus uti, frui, et gaudere possit, ac debeat; ac eidem sic erectæ ecclesiæ Bejensi ipsum oppidum in civitatem, ut præfertur, erectum, pro civitate, in qua pro tempore existens episcopus residebit; et pro hujusmodi effectu domus inibi existentes, atque digniores, ad palatium episcopale stabiliendum emendæ erunt, nec non dictas duas comarchas de Ourique, et de Beja a dicta diœcesi Elborensi, ut præfertur dismembratas, pro ejusdem ecclesiæ Bejensis diœcesi, cum omnibus, et singulis ecclesiis, vicariis, paræciis, beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis sæcularibus, et regularibus in eis respective existentibus, et commorantibus motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo concedimus, tribuimus, et assignamus, et totum id, quod a diœcesi Elborensi, ut præfertur, dismembratum fuit, episcopo Bejensi quoad episcopalem, et archiepiscopo Elborensi pro tempore existentibus, quoad metropolitanam jurisdictionem, et superioritatem perpetuo pariter subjicimus, ecclesiamque ipsam Bejensem suffraganeam pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis esse debere decernimus, et declaramus.

Mandat ut ecclesia Bajensis suum habeat capitulum, et dignitates.

§. 5. Ac insuper, ut prædicta ecclesia Bejensis suum proprium habeat capitulum, illum numerum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum sub suis tamen congruis, et convenientibus ac a jure approbatis respective denominationibus, titulis, et invocationibus, quem infradicendi redditus applicandi permittent, etiam erigimus, et instituimus; pro dote vero ejusdem ecclesiæ episcopalis Bejensis, ac illius mensæ capitularis, et sic, ut præfertur, erectarum, et erectorum dignitatum, canonicatuum, et dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum, redditus provenientes ex dictis duabus comarchis, ut supra dismembratis, ac ex nunc, prout ex tunc, etiam redditus dictæ ecclesiæ suppressæ, et in cathedralem erectæ, quatenus tamen illa collativa existat, prout quoque dictorum triginta beneficiorum, ut præfertur suppressorum, ab eodem exequutore respective assignandos concedimus. Eidemque præterea Josepho, ejusque successoribus Portugalliæ, et Algabiorum regibus fidelissimis regium juspatronatus tam super nova cathedrali prædicta Bejensi, quam super dignitatibus, canonicatibus, dimidiis canonicatibus, et cappellaniis, ut præfertur, erectis etiam pro hac prima vice, ac perpetuo reservamus, et concedimus.

Eidem capitulo jus tribuitur statuta, et ordinationes condendi ad tramites concilii Tridentini, aliarumque apostolicarum constitutionum.

§. 6. Ac insuper futuro ejusdem novæ cathedralis capitulo plenam, et omnem facultatem quæcumque necessaria, et opportuna statuta, ordinationes, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, ac condita, et edita pro temporum et rerum varietate, et qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi,

ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam integre condendi, et edendi tribuimus, et impertimur; necnon dignitates in memorata ecclesia Bejensi obtinentibus, ac capitulo, et canonicis ejusdem ecclesiæ, aliisque capituli, et ecclesiæ hujusmodi personis, et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, indultis, favoribus, gratiis, et privilegiis, quibus aliarum cathedralium ecclesiarum regni Portugalliæ dignitates obtinentes, capitula, et canonici fruuntur, potiuntur, et gaudent (exceptis privilegiis titulo oneroso acquisitis), uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus, et indulgemus.

Executio literarum apostolicarum committitur deputato sancti Officii ab Inquisitione Lisbonensi.

§. 7. Quocirca dilecto filio Antonio Bonifacio Coelho ejusdem Josephi regis consiliario, juris canonici pro universitate Colimbriensi doctori, et deputato sancti Officii ab Inquisitione Lisbonensi ac provisori, et vicario generali patriarchatus Lisbonensis, quem in executorem præsentium Nostrarum literarum deputamus, plenam, liberam, amplam, ac omnimodam facultatem, et auctoritatem, pro spirituali, et dignitatem, capituli, et canonicorum hujusmodi directione, et regimine, ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum, tam diuturnorum, quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, aliisque divinum servitium in eadem cathedrali ecclesia respicientibus, quæ sibi necessaria, et opportuna visa fuerint, statuendi, et decernendi, numerumque capitularium hujusmodi, juxta redditus applicatos constituendi, ac fructus tam futuræ novæ cathedralis ecclesiæ prædictæ, quam futurorum capitularium hujusmodi proportionabiliter, ac juxta gradus, cujusque differentiam, prout ipse justius judicabit, assignandi, omniaque alia, et quæcumque tam in præmissis, quam circa earumdem præsentium executionem, et effectum quomodolibet necessaria, et opportuna agendi, faciendi, et quidquid sibi expediens, et consentaneum videbitur, etiamsi in præsentibus expressum minime sit (cum consilio tamen in omnibus, et consensu ejusdem Josephi regis) gerendi, iisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et impertimur.

Capitulum eximitur in perpetuum a solutione quindenniorum.

§. 8. Et quoniam ignoratur quænam esse debeat ecclesia in cathedralem, ut præfertur, erecta, et an sit collativa, ac supprimenda, et cum talis existat, qui, et quanti sint fructus certi non solum ejusdem ecclesiæ, sed etiam dictorum triginta beneficiorum simplicium, sive residentialium sub quacumque denominatione existentium, ac, ut præmittitur, suppressorum, quorum ratione essent subjecta tam solutioni dimidiæ annatæ in cancellaria apostolica, quam etiam ratione perpetuæ applicationis dictorum fructuum simul unitorum, solutioni quindenniorum: hinc Nos præmissis omnibus, et singulis minime obstantibus, capitulum dictæ ecclesiæ cathedralis Bejensis, ejusque pro tempore existentes canonicos a solutione quindenniorum hujusmodi perpetuo eximimus, et liberamus, ac pro exemptis, et liberatis haberi volumus, et mandamus.

Exemptio literarum a vitio obreptionis, et subreptionis, et omnimoda eorum observantia servanda.

§. 9. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, ullo unqam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ propter quas præsentes emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, et dilecti filii capitulum, atque canonici metropolitanæ ecclesiæ Elborensis prædictæ, nec non quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, et præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, et aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ prædictæ regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus, et formis emanatas, et in posterum emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes episcopum, et dignitates, capitulum, atque canonicos ecclesiæ Bejensis hujusmodi eligenda, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac denuo concessas, semperque validas es-

se, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, necnon episcopo, dignitatibus, capitulo, et canonicis ecclesiæ Bejensis ejusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio omnium contrariorum.

§. 11. Non obstantibus Nostra, et ejusdem cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis, indultis, et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibusque, et generalibus conciliis editis, vel edendis constitutionibus: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret; illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de inscribenda taxa in libris Cameræ in florenis sexcentum octuaginta octo, et duobus tertiis, et vicissim de minuenda alia metropolitanæ Elborensis in pari quantitate

§. 12. Volumus autem, quod taxa novæ cathedralis Bejensis prædictæ in libris Cameræ describatur in tertia parte florenorum, quæ dismembratur ab ipsa metropolitana ecclesia Elborensi videlicet in florenis sexcentum octoginta, et octo, cum duobus tertiis, et taxa ipsius ecclesiæ metropolitanæ Elborensis, quæ in dictis libris Cameræ modo in florenis bis mille et triginta sex descripta reperitur, minui, ac reduci debeat pro tertia parte, ut præfertur, dismembrata, et in eisdem libris taxa dictæ metropolitanæ ecclesiæ Elborensis in florenis mille tercentum septuaginta septem, cum uno tertio de novo describatur, quodque attentis peculiaribus circumstantiis, præsens hæc gratia, utpote per Nostras literas in forma Brevis concessa, minime transeat in exemplum, nec pro exemplo allegari omnino valeat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## LXXVIII.

Dat. die 10. Julii 1770. Anno II.

Erectio ecclesiæ, et episcopalis sedis Pintiensis nuncupatæ, factæ per dismembrationem diœcesis Portugallensis.

### Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Totius orbis ecclesiis divina dispositione meritis licet insufficientibus præsidentes in circuitu agri Dominici oculos nostræ mentis vigilis more pastoris levamus inspicientes quid ecclesiarum ipsarum statui, et decori maxime conveniat, et divino fulti præsidio illius qui cuncta ex sua benignitate in fidelis populi sui salutem disponit ad ea, quæ ad dignitatem, et statum ecclesiarum hujusmodi agendam pertinent, officii Nostri partes libenter convertimus, præsertim ubi catholicorum regum preces id exposcant, et nos in Domino conspicimus expedire.

Preces porrectæ a rege Portugalliæ pro erectione novi episcopatus Pintiensis nuncupati.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algabiorum regis fidelissimi nuper Nobis expositum fuit per dilectum filium, Franciscum de Almada, et Mendoza commendatarium militiæ Domini Nostri Jesu Christi ejusdem Josephi regis apud Nos, et hanc sanctam Sedem ministrum plenipotentiarium quod cum episcopatus Portugallensis unus ex iis sit quem clar. mem. ipsius Josephi regis in regnis hujusmodi prædecessores dividere statuerant propter jam ab hinc annis biscentum cognitam per urgentem necessitatem ad hujusmodi divisionem regium eorum animum impellentem, perpensa potissimum amplitudine ipsius diœcesis, quæ sub se continet grandem ac frequenti numero incolarum refertam civitatem Portugallensem, ejusque circuitus cum quinque parochialibus sive locis populo valde frequentibus, nec non duodecim virorum, seu mulierum, aut eorum alterutros conventus, et quatuor archidiaconatus, seu comarchas unum videlicet, seu unam de Maya cum septuaginta quatuor parochialibus, seu

locis alium, seu aliam de Sobre Tamega cum parochialibus septuaginta, alium seu aliam de Feira cum parochialibus non minus nonaginta, et reliquum seu reliquam de Pintien, cum parochialibus centum ac duabus insimul constituentes parochiales tercentum quadraginta, et unam omnes sitas in territoriis frequentissime habitatis, fertilibus et opulentis. Ipse vero Josephus rex prædecessorum hujusmodi voluntatem, et dispositionem providam, ac religiosissimam agnoscens Nobis humiliter supplicari fecit ut locum de Arifana de Souza populo florentem, et caput dictæ comarchæ de Pintien a diœcesi Portugallensi dismembrare, illumque commutato nomine de Arifana in nomen de Pintien in civitatem, et Sedem episcopalem erigere, ibique futuri episcopi Pintiensis residentiam destinare, ac desuper in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Dismembrationem probat Pontifex, novamque episcopalem sedem erigit cum designatione territorii, beneficiorum, monasteriorum, aliarumque ecclesiarum, et cappellarum.

§. 3. Nos igitur piis, et commendabilibus ejusdem Josephi regis votis annuere volentes motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine comarcham præfatam de Pintien cum parochialibus sive locis centum, et duobus, cujus, et quarum respective territoria, et confines præsentes haberi volumus pro expressis cum omnibus, et singulis ecclesiis, monasteriis, cappellis, et aliis ecclesiasticis et sæcularibus personis, rebus quoque, et bonis eorumdem in dicta comarcha ipsiusque, et eorum respective territorio, et districtu consistentibus ab episcopali jurisdictione, superioritate, subjectione, visitatione, et correctione, ac potestate moderni, ac pro tempore existentis episcopi Portugallensis prorsus eximimus, ipsumque locum de Arifana de Souza dictæ comarchæ caput in civitatem Pintiensem nuncupandam erigimus, et civitatem esse, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari debere decernimus; ac ecclesiam, quæ huc usque ibi pro domo misericordiæ nuncupabatur sub eodem titulo quem nunc habet, sive sub alio ejusdem Josephi regis arbitrio designando titulo in cathedralem ecclesiam cum omnibus præeminentiis, et prærogativis cathedrali ecclesiæ congruentibus pariter erigimus et episcopalis dignitatis honore, ac titulo insignimus. Hancque cathedralem ecclesiam erigimus pro uno episcopo Pintiensi nuncupando, qui ei præesse valeat, et prodesse, omnibusque insigniis episcopalibus, ac honoribus episcopis de jure competentibus uti, frui, et gaudere possit, ac debeat, ac eidem sic erectæ ecclesiæ Pintiensi ipsum locum in civitatem, ut præfertur, erectum pro civitate, in qua pro tempore existens episcopus residebit, et pro hujusmodi effectu domus inibi existentes ad palatium episcopale stabiliendum emendæ erunt, nec non dictam comarcham de Pintien a memorata diœcesi Portugallensi, ut præfertur, dismembratam pro ejusdem ecclesiæ Pintiensis diœcesi cum omnibus, et singulis ecclesiis, vicariis sive simplicibus, sive residentialibus, monasteriis, conventibus, clero, personis, sive sæcularibus, sive regularibus in dicta civitate, et comarcha dismembratis existentibus, et commorantibus motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo concedimus, tribuimus, et assignamus, ac prædictam civitatem, et comarcham de Pintien cum omnibus, et singulis, ut præfertur dismembratis episcopo Pintiensi quoad episcopalem prout hactenus subjecta fuerunt episcopo Portugallensi, cui jurisdictio, ut antea super reliquis tribus comarchis de Maya, et de Sobre Tamega ac de Feyra cum ducentis triginta novem parochialibus, sive locis opulentis in præsenti dismembratione non comprehensis illæsa remanebit, et archiepiscopo Bracharensi pro tempore existenti quoad metropoliticam jurisdictionem perpetuo pariter subjicimus; ecclesiamque ipsam Pintiensem suffraganeam pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis esse debere decernimus, et declaramus.

Præcipitur, ut ecclesia Pintiensis proprium habeat capitulum.

§. 4. Ac insuper, ut præfata ecclesia Pintiensis suum proprium habeat capitulum illum numerum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum sub suis tamen congruis, et convenientibus, et a jure approbatis respective denominationibus, titulis, et invocationibus, quem infradicendi redditus applicandi permittent etiam erigimus, et instituimus. Pro dote vero ejusdem ecclesiæ episcopalis Pintiensis, et sic ut præfertur erectarum, et erectorum dignitatum canonicatuum, ac dimidiorum canonicatuum, ac cappellaniarum redditus provenientes ex effectis ut supra dismembratis per infrasriptum præsentium Nostrarum literarum exequutorem assignandos concedimus.

Ecclesia, cum suis canonicatibus, et cappellaniis juris-

§. 5. Eidemque præterea Josepho ejusque successoribus Portugalliæ, et Algabiorum regibus fidelissimis re-

patronatus declaratur regis fidelissimi.

gium juspatronatus tam super nova cathedrali præfata, quam super dignitatibus, canonicatibus, dimidiis canonicatibus, et cappellaniis, ut præfertur, erectis etiam pro hac prima vice, ac perpetuo reservamus, et concedimus.

Capitulo impertitur facultas condendi statuta, et decreta, servata tamen forma concilio Tridentino, aliisque apostolicis constitutionibus præfinit, aliaque conceduntur privilegia.

§. 6. Ac insuper futuro novæ cathedralis capitulo plenam, et omnem facultatem quæcumque necessaria, et opportuna statuta, ordinationes, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, ac condita, et edita pro temporum et rerum varietate, et qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam integre condendi, et edendi tribuimus, et impertimur; necnon dignitates in memorata ecclesia Pintiensi obtinentibus, ac capitulo, et canonicis ejusdem ecclesiæ, aliisque capituli, et ecclesiæ hujusmodi personis, et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis praeeminentiis, prærogativis, facultatibus, indultis, favoribus, gratiis, et privilegiis, quibus aliarum cathedralium ecclesiarum regni Portugalliæ dignitates obtinentes, capitula, et canonici fruuntur, potiuntur, et gaudent (exceptis privilegiis titulo oneroso acquisitis), uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus, et indulgemus.

Executor literarum apostolicarum præfinitur, qui procedat ad tramites ipsarum literarum, de consilio, et consensu regis.

§. 7. Quocirca dilecto filio Nicolao Joachimo Thoret ejusdem Josephi regis consiliario, ac officiali sancti Officii, quem in executorem præsentium Nostrarum literarum deputamus, plenam, liberam, amplam, ac omnimodam facultatem, et auctoritatem, pro spirituali dignitatum capituli, et canonicorum hujusmodi directione, ac regimine, et onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum, tam diuturnorum, quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, aliisque divinum servitium in eadem cathedrali ecclesia respicientibus, quæ sibi necessaria, et opportuna visa fuerint, statuendi, et decernendi, numerumque capitularium hujusmodi, juxta redditus locorum, ut præfertur, dismembratorum, ac fructus tam futuræ novæ cathedralis ecclesiæ, quam futurorum capitularium hujusmodi proportionabiliter, ac juxta gradus cujusque differentiam, prout ipse justius judicabit, assignandi, omniaque alia, et quæcumque tam in præmissis, quam circa earumdem præsentium executionem, et effectum quomodolibet necessaria, et opportuna agendi, faciendi, et quidquid sibi expediens, et consentaneum videbitur, etiamsi in præsentibus expressum minime sit (cum consilio tamen in omnibus, et consensu ejusdem Josephi regis) gerendi, iisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et impertimur.

A censura quavis et etiam obreptionis, et subreptionis literæ apostolicæ eximuntur, quovis suppleto defectu.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, ullo unqam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ propter quas præsentes emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, et dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiæ Portugallensis prædictæ, nec non quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, et præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, restitutionis in integrum, aliudve remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, et aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ præfatæ regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus, et formis emanatas, et in posterum emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes episcopum, capitulum, et canonicos ecclesiæ Pintiensis hujusmodi eligenda, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac denuo concessas, semperque validas esse, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, necnon episcopo, dignitatibus, capitulo, et canonicis ecclesiæ Pintiensis hujusmodi perpetuo suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter

judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogationes effrænatissimæ omnium in contrarium facientium.

§. 10. Non obstantibus Nostris, et ejusdem cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis, indultis, et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quibusvis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibusque, et generalibus conciliis editis, vel edendis constitutionibus: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Onus injungitur inscribendi taxam in libris Cameræ pro florenis tercentum quadraginta unius, et duobus tertiis, facta pari dismembratione ab ecclesiæ Portugallensis taxa, quæ reducitur ad florenos sexcentum octuaginta tribus.

§. 11. Volumus autem, quod taxa novæ cathedralis Pintiensis præfatæ in libris Cameræ describatur in tertia parte florenorum, quæ dismembratur ab ipsa ecclesia Portugallensi, videlicet in florenis tercentum quadraginta, et unum cum duobus tertiis; et taxa præfatæ ecclesiæ Portugallensis, quæ in præsens in dictis libris Cameræ in florenis mille viginti quinque descripta reperitur, minui, et reduci debeat pro tertia parte, ut præfertur, dismembrata, et in eisdem libris dictæ ecclesiæ Portugallensis in florenis sexcentum octuaginta tribus de novo describatur, quodque attentis peculiaribus circumstantiis, præsens Nostra gratia, utpote per Nostras literas in forma Brevis concessa, minime transeat in exemplum, nec pro exemplo alligari valeat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

## LXXIX.

Dat. die 10. Julii 1770. Anno II.

Erectio ecclesiæ, seu sedis episcopalis Brigantiensis.

### Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Pastoris æterni, licet immeriti vices gerentes in terris, ubi in aliqua Dominici agri parte messem multam esse, paucos autem operarios ibidem existere comperimus, inter multiplices curas, quæ ex apostolico munere Nobis incumbere intelligimus, illa præsertim cordi Nostro est, ut multiplicata hac messe, et agri Dominici multiplicentur cultores, quorum assiduis operibus spiritualis christifidelium profectus augeatur, æternaque salus ab ipsis, benedicente Domino, comparetur: propterea in iis piissimi patrisfamilias partes favorabiliter implere curamus, et piis sublimium regum de orthodoxa fide benemeritorum votis libenter annuimus.

Ob nimiam amplitudinem dioecesis Mirandensis, novæ episcopatus erectio imploratur ad majorem populorum utilitatem.

§. 2. Nuper siquidem nomine carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algabiorum regis fidelissimi Nobis exposuit dilectus filius Franciscus de Almada, et Mendoza commendator militiæ Domini Nostri Jesu Christi, et ipsius Josephi regis apud Nos, et hanc sanctam Sedem minister plenipotentiarius, maximam esse amplitudinem diœcesis Mirandensis, quæ in provincia trans Montes protenditur spatio vigintiduarum grandium leucarum, simulque continet tercentum decem et quatuor ecclesias parochiales, seu loca, qua de re unus tantum pastor tam gravi ferendo onere impar prorsus dignoscitur, summæque foret utilitatis, quoties diœcesis hujusmodi Mirandensis in duas diœceses auctoritate apostolica divideretur, ita scilicet, ut prima diœcesis firma remaneret in civitate Mirandensi, in qua ecclesia cathedralis existit, dudum instante claræ memoriæ Joanne III. Portugalliæ, et Algabiorum itidem rege ab archiepiscopatu Bracharensi eadem auctoritate separata, habeatque pro suo territorio archipresbyteratum, seu vicariatum nuncupatum districtum ejusdem civitatis Mirandensis, et alium archipresbyteratum, seu vicariatum de Mirandella pariter nuncupatum, qui insimul centum decem, et sex ecclesias parochiales, sive loca complectuntur, remanentibus

tamen in massa ecclesiæ Mirandensis prædictæ bonis de Mosterio, de Castro, de Avelans nuncupatis, quæ alias ad preces ejusdem Joannis regis cathedrali Mirandensi hujusmodi pari auctoritate unita fuerunt: altera vero diœcesis in oppido civitatis nuncupatæ Brigantiensis constitueretur, ei assignando pro suo territorio, archipresbyteratu, seu districtu ejusdem oppidi civitatis, ut præfertur, nuncupatæ Brigantiensis, de Monfort, de Mirandella, et de Lampanas una cum centum nonaginta octo ecclesiis parochialibus, sive locis in eis respective comprehensis.

Imploratur erectio novi episcopatus Brigantiensis per dismembrationem dioecesis Mirandensis.

§. 3. Quocirca idem Josephus rex Nobis humiliter supplicari fecit, ut prædictum oppidum civitatis nuncupatatæ Brigantiensis cum districtu ejusdem civitatis de Monfort, de Mirandella, ac de Lampanas, et prædictis ecclesiis parochialibus, seu locis in eis respective comprehensis, a diœcesi prædicta Mirandensi dismembrare, atque in oppido, seu civitate Brigantiensi hujusmodi sedem episcopalem erigere, ac instituere, et alias opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulgetur nova episcopatus erectio, annuente episcopo Mirandensi; enumeranturque loca novæ dioecesi assignata.

§. 4. Nos igitur eximiam ejusdem Josephi regis pietatem, ac zelum pro incremento divini cultus, ac bono spirituali animarum plurimum in Domino commendantes, ipsiusque votis libenter annuere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine (ad id accedente consensu venerabilis fratris Alexii moderni episcopi Mirandensis) oppidum prædictum civitatem nuncupatam de Bragantia, cum suo territorio, archipresbyteratu, seu districtu dictæ civitatis de Monfort, de Mirandella, necnon de Lampanas, una cum centum nonaginta et octo parochialibus ecclesiis, seu locis in eis respective contentis, cujus, et quarum territoria, et confines respective præsentibus haberi volumus pro expressis, cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, cappellis, cæterisque ecclesiasticis, et piis locis, nec non populo, incolis, habitatoribus, cæterisque ecclesiasticis, et sæcularibus personis, rebus quoque, et bonis eorumdem in dicto oppido civitatis nuncupatæ, ac suo territorio, archipresbyteratu, seu districtu prædictæ civitatis de Monfort, de Mirandella, atque de Lampanas, locisque prædictis consistentibus ab episcopali jurisdictione, superioritate, subjectione, visitatione, correctione, ac potestate dicti Alexii, et pro tempore existentis episcopi Mirandensis omnino eximimus, et perpetuo dismembramus, ipsumque oppidum de Bragantia in civitatem Brigantiensem nuncupandam erigimus, et civitatem esse, atque perpetuis futuris temporibus nuncupari debere decernimus.

Electio ecclesiæ dignioris in cathedralem.

§. 5. Necnon unam ex ecclesiis ibidem existentibus quam infrascriptus præsentium literarum Nostrarum executor a Nobis deputandus aptiorem, et decentiorem judicaverit pro meliori, et commodiori divino servitio in ea a futuris capitularibus præstando, sub eodem titulo, quem nunc habet, sive sub alio ejusdem Josephi regis arbitrio, designando titulo, in cathedralem ecclesiam cum omnibus præeminentiis, et prærogativis cathedrali ecclesiæ congruentibus pariter erigimus, et episcopalis dignitatis honore, ac titulo insignimus; et quatenus ecclesia hujusmodi, quæ in cathedralem, ut præfertur, erecta sit, collativa existat, suumque legitimum habeat possessorem, ad effectum erectionis prædictæ, illam ex nunc, prout ex tunc, et e contra, cum primum per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet ex persona illam modo obtinentis vacare contigerit, absque tamen ullo possessoris hujusmodi præjudicio, integris omnibus illius favore reservatis fructibus vita ipsius naturali durante, sive usquedum de alio competenti beneficio provisus fuerit, perpetuo pariter supprimimus, et extinguimus.

Domus sitæ prope ecclesiam selectam pro cathedrali, emendæ pro erectione palatii episcopalis.

§. 6. Hancque cathedralem ecclesiam erigimus pro uno episcopo Brigantiensi nuncupando, qui ei præesse valeat, et prodesse, omnibusque insigniis episcopalibus, et honoribus episcopis de jure competentibus uti, frui, et gaudere possit; ac eidem sic erectæ ecclesiæ Brigantiensi, ipsumque oppidum in civitatem, ut præfertur, erectum pro civitate, in qua pro tempore existens episcopus residebit, et pro hujusmodi effectu domus inibi existentes, ac aptiores ad stabiliendum palatium episcopale emendæ erunt, nec non prædictum archipresbyteratum, seu districtum ejusdem civitatis Brigantiensis, de Monfort, de Mirandella, et de Lampanas cum supradictis parochialibus, sive locis, ut præfertur, dismembratis, ac omnibus, et singulis aliis ecclesiis, vicariis, parœciis, beneficiis, monasteriis, conven-

tibus, clero, personis sæcularibus, et regularibus in eis respective existentibus, et commorantibus, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo concedimus, tribuimus, et assignamus, atque totum id, quod a diœcesi Mirandensi, ut præfertur, dismembratum fuit, episcopo Brigantiensi quoad episcopalem, et archiepiscopo Bracharensi pro tempore existentibus quoad metropoliticam jurisdictionem, et superioritatem (illæsa remanente favore pro tempore existentis episcopi Mirandensis jurisdictione, ut antea idem episcopus Mirandensis obtinebat super memoratis archipresbyteratibus, vicariatibus, necnon etiam super prædictis parochialibus, sive locis sub dismembratione præsentium literarum vigore concessa minime comprehensis) perpetuo pariter subjicimus, ecclesiamque ipsam Brigantiensem suffraganeam pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis eisdem modo, et forma, quibus ecclesia Mirandensis ad præsens suffragatur, esse debere decernimus.

Mandatur ut nova ecclesia suum capitulum habeat, cum omnibus privilegiis, et indultis.

§. 7. Ac insuper, ut prædicta ecclesia Brigantiensis suum proprium habeat capitulum, illum numerum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum sub suis tamen congruis, et convenientibus, atque a jure approbatis respective denominationibus, titulis, et invocationibus, quem infradicendi redditus applicandi permittent, etiam erigimus, atque instituimus.

Describuntur bona quæ assignantur in dotem ecclesiæ episcopalis.

§. 8. Pro dote vero ejusdem ecclesiæ episcopalis Brigantiensis, ac illius mensæ capitularis, et sic, ut præfertur, erectarum dignitatum, canonicatuum, et dimidiorum canonicatuum, ac cappellaniarum, redditus provenientes ex effectibus, ut supra dismembratis, ac ex nunc, prout ex tunc, redditus etiam dictæ ecclesiæ suppressæ, et in cathedralem erectæ quatenus tamen illa collativa existat, ab eodem executore respective assignandos concedimus. Ipsique præterea Josepho, ejusque successoribus Portugalliæ et Algabiorum regibus fidelissimis regium juspatronatus tam super nova cathedrali prædicta Brigantiensi, quam super dignitatibus, canonicatibus, dimidiis canonicatibus, et cappellaniis, ut præfertur, erectis etiam pro hac prima vice, ac perpetuo reservamus, et concedimus.

Conceditur novo capitulo jus condendi statuta, et constitutiones solitas et præscriptionibus apostolicis, et præsertim concilii Tridentini decretis minime contrarias.

§. 9. Ac insuper futuro ejusdem novæ cathedralis capitulo plenam, et omnem facultatem, quæcumque necessaria, et opportuna statuta, ordinationes, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, præsertim concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, ac condita, et edita pro temporum, et rerum varietate, et qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam integre condendi, et edendi tribuimus, et impertimur. Nec non dignitates in memorata ecclesia Brigantiensi obtinentibus, ac capitulo, et canonicis ejusdem ecclesiæ, aliisque capituli, et ecclesiæ hujusmodi personis, et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, indultis, favoribus, gratiis, et privilegiis, quibus aliarum cathedralium ecclesiarum regni Portugalliæ dignitates obtinentes, capitula, et canonici fruuntur, potiuntur, et gaudent (exceptis privilegiis titulo oneroso acquisitis) uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus, et indulgemus.

Deputatio executoris literarum apostolicarum, qui procedere debet de consilio, et consensu fidelissimi regis.

§. 10. Quocirca dilecto filio Antonio Bonifacio Coelho ejusdem Josephi regis consiliario juris canonici pro universitate Colimbriensi doctori, et deputato sancti Officii ab Inquisitione Lisbonensi, ac provisori, et vicario generali patriarchatus Lisbonensis, quem in executorem præsentium Nostrarum literarum deputamus, plenam, liberam, amplam, ac omnimodam facultatem, et auctoritatem pro spirituali, et dignitatum, capituli, et canonicorum hujusmodi directione, et regimine, ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum tam diuturnorum, quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, aliisque divinum servitium in eadem cathedrali ecclesia respicientibus, quæ sibi necessaria, et opportuna visa fuerint statuendi, et decernendi, numerumque capitularium hujusmodi, juxta redditus applicatos constituendi, ac fructus tam futuræ novæ cathedralis ecclesiæ prædictæ, quam futurorum capitularium hujusmodi proportionabiliter, ac juxta gradus cujuscumque differentiam, prout ipse justius judicabit, assignandi, omniaque alia, et quæcumque tam in præmis-

sis; quam circa earumdem præsentium executionem, et effectum quomodolibet necessaria, et opportuna agendi, faciendi, et quidquid sibi expediens, et consentaneum videbitur, etiamsi in præsentibus expressum minime sit (cum consilio tamen in omnibus, et consensu ejusdem Josephi regis) gerendi iisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et impertimur.

Exemptio capituli a solutione quindenniorum.

§. 11. Et quoniam ignoratur quænam esse debeat ecclesia in cathedralem, ut præfertur, erecta, et an sit collativa, ac supprimenda, et cum talis existat, qui, et quanti sint fructus certi ejusdem ecclesiæ, quorum ratione subjecta esset solutioni dimidiæ annatæ in cancellaria apostolica, ac etiam ratione perpetuæ applicationis dictorum fructuum solutioni quindenniorum. Hinc Nos, præmissis omnibus, et singulis minime obstantibus, capitulum dictæ ecclesiæ cathedralis Brigantiensis, ejusque pro tempore existentes canonicos a solutione quindenniorum hujusmodi perpetuo eximimus, et liberamus, ac pro exemptis, et liberatis haberi volumus, et mandamus.

Observantia constitutionis præcipitur sub effrænatissimis clausulis, etiam sublato remedio impetrandæ reportationis literarum ob vitium obreptionis, vel subreptionis, et quovis alio suppleto defectu.

§. 12. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ propter quas præsentes emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, et dilecti filii capitulum, et canonici metropolitanæ ecclesiæ Elborensis prædictæ, necnon quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, et præmissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariæ prædictæ regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus, et formis emanatas, et in posterum emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes episcopum, ac dignitates, capitulum, et canonicos ecclesiæ Brigantiensis hujusmodi eligenda, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo concessas, semperque validas esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, nec non episcopo, dignitatibus, capitulo, et canonicis ecclesiæ Brigantiensis ejusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 13. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus Nostris, et ejusdem cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis, indultis, et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quibusvis apostolicis, nec non synodalibus, provincialibusque, et generalibus conciliis editis, vel edendis constitutionibus: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur descriptio taxæ in libris Cameræ pro florenis tercentum octoginta, et octo cum duobus tertiis, et cassatio paris quantitatis a taxa ecclesiæ Mirandensis.

§. 15. Volumus autem, quod taxa novæ cathedralis ecclesiæ Brigantiensis prædictæ in libris Cameræ describatur in tertia parte florenorum, quæ ab ipsa ecclesia Mirandensi dismembratur, videlicet in florenis tercentum octoginta, et octo cum duobus tertiis, et taxa ejusdem ecclesiæ Mirandensis, quæ in dictis libris Cameræ modo in florenis mille centum, et sexaginta sex cum duobus tertiis descripta reperitur, minui, et reduci debeat pro tertia parte, ut præfertur, dismembrata, et in eisdem libris taxa dictæ ecclesiæ Mirandensis in florenis septemcentum septuaginta septem cum duobus tertiis de novo describatur;

quodque attentis peculiaribus circumstantiis, præsens hæc gratia, utpote per Nostras literas in forma Brevis concessa, minime transeat in exemplum, nec pro exemplo alligari omnino valeat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 10. Julii 1770. Anno II.

## LXXX.

Erectio ecclesiæ, seu sedis episcopalis Pinhelensis per dismembrationem a diœcesi Lamacensi, et ab alia Visensi.

### Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Apostolicæ Sedi nullis suffragantibus meritis, ita patre luminum disponente, præpositi, ad universum Dominicum gregem Nostræ commissum curæ solicita mentis acie circumspicientes, in iis, quæ ejusdem gregis majori fœcunditati præfuturum esse dignoscimus opem, ac operam Nostram libentissime impertimur, ac propterea novas sedes, novosque pastores instituimus, ut facilius oves ipsas spiritualibus proficiant incrementis, præsertim dum sublimium, et excelsorum regum desideria id exposcant, consideratisque locorum, personarum, et temporum qualitatibus, hoc expedire animadvertimus.

Exponitur necessitas deveniendi ad dismembrationem dioecesis Lamacensis.

§. 2. Nuper siquidem nomine carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algabiorum regis fidelissimi Nobis exposuit dilectus filius Franciscus de Almada, et Mendoza commendator militiæ Domini Nostri Jesu Christi, et ipsius Josephi regis apud Nos, et hanc sanctam Sedem minister plenipotentiarius, quod cum episcopatus Lamacensis existens in provincia de Beira a civitate Lamacensi usque ad terram de Feira finitimam cum episcopatu Portugallensi complectatur per extensum triginta grandes leucas, et ab ipsa civitate ex parte superiori de Douro se extendat per alias similes octodecim leucas usque ad villam novam de Foscoa, et ab ista comprehendendo singulas terras de Riba Coa, quæ episcopatus novus denominatur, et se protendendo ultra sexdecim leucas, pertingat usque ad Alfaydes, et ad Sabugal, et ex parte orientali sit conterminus regno de Leão, ex parte vero meridionali fines habeat cum episcopatu Visensi, et villa nuncupata Nostræ Dominæ da Lapa sit pro limitibus: in hujusmodi autem extensione comprehendantur biscentum octuaginta sex, sive biscentum nonaginta et una parochiales, sive loca sub parochialium hujusmodi vocabulo in quatuor visitas nuncupatas divisas, seu divisa, unam videlicet de Riba Coa cum quinquaginta parochialibus, alteram intra Coa, et Tavora cum octuaginta tribus parochialibus, tertiam de Serra Nostræ Dominæ de Lapa cum octuaginta septem parochialibus, et quartam in terris de Riba Douro cum sexaginta sex parochialibus.

Idipsum demonstratur quoad episcopatum Visensem ob nimiam ejus extensionem.

§. 3. Alter vero episcopatus Visensis in eadem provincia existens, dictoque episcopatui Lamacensi finitimus pariter amplam habeat extensionem continentem octo archipresbyteratus, sive archidiaconatus, qui comarchæ, vel districtus sunt, complectentes biscentum octuaginta septem, sive biscentum nonaginta parochiales, sive loca sub eodem vocabulo parochialium, unum nempe civitatis Visensis cum suo districtu parochiales quadraginta sex, alterum de Besteiros parochiales triginta tres, tertium de la Foens parochiales quadraginta tres, quartum de Moens parochiales viginti quatuor, quintum de Penaverde parochiales quadraginta novem, sextum de Trancozo parochiales quadraginta quatuor, septimum de Dinhel parochiales triginta, et octavum de Castello Mendo parochiales decem, et octo: ipse itaque Josephus rex justis de causis adductus, præcipue vero ob utriusque episcopatus Lamacensis, et Visensis notabilem amplitudinem, et extensionem, per quam uterque episcopus munus suum fungi nequit, Nobis humiliter supplicari fecit, ut novam episcopalem sedem in villa de Pinhel erigere, atque instituere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Motus proprius pro dismembratione, et respectiva erectione novæ dioecesis, de consensu utriusque episcopi Lamacensis, et Visensis.

§. 4. Nos igitur ipsius Josephi regis pium desiderium quam maxime in Domino commendantes, ipsiusque votis libenti animo volentes annuere, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ad id accedente consensu ipsius Josephi regis, et moderni episcopi Lamacensis,

ab eodem episcopo præstito, sin minus, coram infrascripto executore præsentium Nostrarum literarum præstando, eoque irrationabiliter denegato, supplendo, a diœcesibus utriusque ecclesiæ Lamacensis, et respective Visensis, quarum utraque de jurepatronatus ejusdem Josephi regis existit, nempe a diœcesi Lamacensi loca, sive terras, ac quæcumque beceficia, quæ comprehenduntur in prædictis duabus visitis de Riba Coa, et intra Coa, et Tavora continentibus insimul centum triginta tres parochiales sive loca; a diœcesi vero Visensi eamdem villam de Pinhel, nec non tres ex dictis octo archipresbyteratibus, sive archidiaconatibus, aut comarchis, vel districtibus, unum scilicet, seu unam ejusdem villæ de Pinhel cum triginta parochialibus, sive locis, alterum, sive alteram de Trancozo cum parochialibus quadragintaquatuor, ac tertium, seu tertiam de Castel Mendo cum parochialibus decem, et octo, in totum parochiales, sive loca biscentum vigintiquinque sitas, seu sita in earum, sive eorum majori parte in territoriis minoris fœcunditatis, et majoris paupertatis, quarum, seu quorum respective territoria, et confines, præsentibus haberi volumus pro expressis, cum omnibus, et singulis ecclesiis, monasteriis, cappellis, et aliis ecclesiasticis, et piis locis, necnon populo, incolis, habitatoribus, cæterisque ecclesiasticis, et sæcularibus personis, rebus quoque, et bonis earum, sive eorum ibidem consistentibus (firmis remanentibus episcopatui Lamacensi parochialibus, sive locis centum quinquagintatribus, sive centum quinquaginta et octo positis in territoriis fertilibus, et pinguioribus ipsius provinciæ; episcopatui vero Visensi parochialibus, sive locis centum nonaginta quinque, sive centum nonaginta et octo in aliis territoriis fertilibus, fœcundis quoque, et abundantibus) ab episcopali jurisdictione, superioritate, subjectione, visitatione, correctione, et potestate venerabilium fratrum Feliciani, et Francisci modernorum, et pro tempore existentium episcoporum Lamacensis, et Visensis prorsus eximimus, et perpetuo dismembramus, ipsamque villam de Pinhel populo refertam, eodem tamen nomine hucusque habito præservato, in qua parochiales sex numerantur, pluresque nobiles familiæ, in civitatem erigimus, et civitatem esse, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari debere decernimus; necnon unam ex prædictis sex parochialibus in eadem villa in civitatem erecta de Pinhel existentibus, quam idem executor præsentium Nostrarum literarum aptiorem, et decentiorem pro meliori divino servitio in ea a futuris illius capitularibus infrascriptis præstando existimaverit, ex nunc, prout ex tunc, et cum primum vacaverit, absque tamen ullo præjudicio moderni illius rectoris, cui, et ejus vita naturali durante, seu donec, et quousque ipse modernus rector de aliis redditibus ecclesiasticis cum eadem parochiali compatibilibus, sive incompatibilibus, canonice provisus fuerit, remanere debebunt integri omnes illius fructus, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus supprimimus, eamque sic suppressam, in ecclesiam cathedralem sub eodem titulo, quem dicta ecclesia parochialis, ut præfertur, suppressa in præsens habet, sive sub alio ejusdem Josephi regis arbitrio designando titulo, cum omnibus præeminentiis, prærogativis cathedrali ecclesiæ congruentibus, pariter erigimus, et episcopalis dignitatis honore, ac titulo insignimus.

§. 5. Dictamque cathedralem ecclesiam erigimus pro uno episcopo Pinhelensi nuncupando, qui ei præesse valeat, et prodesse, omnibusque insigniis episcopalibus, et honoribus episcopis de jure competentibus uti, frui, et gaudere possit; ac eidem sic erectæ ecclesiæ Pinhelensi ipsam villam in civitatem, ut præfertur, erectam, pro civitate, in qua pro tempore existens episcopus residebit; et pro hujusmodi effectu emendæ omnino erunt domus, quæ digniores sint pro stabiliendo palatio episcopali, nec non pro ejusdem ecclesiæ Pinhelensis diœcesi loca, quæ comprehenduntur in dictis duabus visitis de Riba Coa, et intra Coa, et Tavora, ac prædictos tres archipresbyteratus, sive archidiaconatus, aut comarchas, vel districtus de Pinhel, et de Trancozo, ac de Castel Mendo, ut præfertur, dismembrata, et dismembratos, cum omnibus, et singulis ecclesiis, vicariis, parœciis, beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis sæcularibus, et regularibus in eis respective existentibus, et commorantibus motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam perpetuo concedimus, tribuimus, et assignamus. *Erectio novæ ecclesiæ cathedralis Pinhelensis nuncupatæ, et designatio palatii episcopalis.*

§. 6. Et totum id, quod a prædictis duabus diœcesibus Lamacensi, et *Conceditur jurisdictio episcopalis novo*

episcopo Pinhelensi, qui suffraganeus declaratur archiepiscopi Bracharensis.

Visensi, ut præfertur, dismembratum fuit, episcopo Pinhelensi quoad episcopalem jurisdictionem, et superioritatem, prout antea fuit subjectum duobus respective episcopis Lamacensi, et Visensi, quibus, et utrique eorum jurisdictio episcopo Lamacensi videlicet super aliis duobus visitis de Serra Nostræ Dominæ de Lapa, cum parochialibus, sive locis octuaginta septem, et de Riba Douro, cum parochialibus, sive locis sexaginta sex; episcopo vero Visensi super reliquis quinque archipresbyteratibus, sive archidiaconatibus, aut comarchis, vel districtibus, nempe ipsius civitatis Visensis cum parochialibus sive locis quadraginta sex, et de Besteiros cum parochialibus, sive locis triginta tribus, et de Foens cum parochialibus, sive locis quadraginta tribus, et de Moens cum parochialibus, sive locis viginti quatuor, et de Pinaverde cum parochialibus, sive locis quadraginta novem sub præsenti dismembratione minime comprehensis, illæsa ut antea respective remanebit, perpetuo pariter subjicimus, ipsamque ecclesiam Pinhelensem quoad metropoliticam jurisdictionem, et superioritatem pro tempore existenti archiepiscopo Bracharensi, tamquam archiepiscopali ecclesiæ Bracharensi suffraganeam, eisdem modo, et forma, quibus ecclesia Lamacensis, et Visensis nunc suffragantur pariter subjicimus, ac respective esse debere decernimus, ac declaramus; nec non insuper, ut prædicta ecclesia Pinhelensis suum proprium habeat capitulum, illum numerum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum sub suis tamen congruis, et convenientibus, ac a jure approbatis respective denominationibus, titulis, et invocationibus, quem infradicendi redditus applicandi permittent, etiam erigimus, et instituimus; pro dote vero ejusdem ecclesiæ episcopalis Pinhelensis, ac, ut præfertur, erectarum, et erectorum dignitatum, canonicatuum, dimidiorum canonicatuum, et cappellaniarum redditus provenientes ex effectibus, ut supra dismembratis, et ulterius ex nunc, prout ex tunc, etiam redditus dictæ parochialis suppressæ, et in cathedralem erectæ, ab eodem exequutore assignandos concedimus.

Juspatronatus novæ cathedralis cum suis canonicatibus, dignitatibus, et beneficiis tribuitur regi Portugalliæ, et Algabriorum et successoribus ejus.

§. 7. Eidemque præterea Josepho regi, ejusque successoribus Portugalliæ, et Algabiorum regibus fidelissimis regium juspatronatus tam super nova cathedrali prædicta Pinhelensi, quam super dignitatibus, canonicatibus, dimidiis canonicatibus, et cappellaniis, ut præfertur, erectis, etiam pro hac prima vice, ac perpetuo reservamus, et concedimus.

Novo capitulo consueta privilegia, et indulta conceduntur necnon jus condendi statuta, et ordinationes servata forma volita a Pontificiis constitutionibus, et a synodo Tridentina.

§. 8. Atque insuper futuro ejusdem novæ cathedralis capitulo plenam, et omnem facultatem quæcumque necessaria, et opportuna, ordinationes, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, præsertim vero concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, ac condita, et edita, pro temporum, et rerum varietate, et qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo, etiam integre, condendi, et edendi tribuimus, et impertimur. Nec non dignitates in memorata ecclesia Pinhelensi obtinentibus, ac capitulo, et canonicis ejusdem ecclesiæ aliisque capituli, et ecclesiæ hujusmodi personis et ministris pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis præeminentiis prærogativis, facultatibus, indultis, favoribus, gratiis, et privilegiis, quibus aliarum ecclesiarum cathedralium regni Portugalliæ dignitates obtinentes, capitula, et canonici fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac (exceptis privilegiis titulo oneroso acquisitis) uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus, et indulgemus.

Deputatio executoris literarum apostolicarum, cui præcipitur, ut in omnibus procedat de consilio, et consensu regis fidelissimi.

§. 9. Quocirca dilecto filio Antonio Bonifacio Coelho ejusdem Josephi regis consiliario, juris canonici pro universitate Colimbriensi doctori, et deputato sancti Officii ab Inquisitione Lisbonensi ac provisori, et vicario generali patriarchatus Lisbonensis, quem in executorem præsentium Nostrarum literarum deputamus, plenam, liberam, amplam, ac omnimodam facultatem, et auctoritatem pro spirituali, et dignitatum, capituli, et canonicorum hujusmodi directione, et regimine, ac onerum illis incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum, divinorum tam diuturnorum, quam nocturnorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, aliisque divinum servitium in eadem cathedrali ecclesia respicientibus, quæ sibi necessaria, et opportuna visa fuerint, statuendi, et decernendi, numerumque capitularium

hujusmodi juxta redditus applicatos constituendi, et fructus tam futuræ novæ cathedralis ecclesiæ prædictæ, quam futurorum capitularium hujusmodi proportionabiliter, et juxta gradus cujusque differentiam, prout ipse justius judicabit, assignandi, omniaque alia, et quæcumque tam in præmissis, quam circa earumdem præsentium executionem, et effectum quomodolibet necessaria, et opportuna agendi, faciendi, et quidquid sibi expediens, et consentaneum videbitur, etiamsi in præsentibus expressum minime sit (cum consilio tamen in omnibus, et consensu ejusdem Josephi regis) gerendi, eisdem motu, scientia, et potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et impertimur.

Exemptio capituli a solutione quindennii.

§. 10. Et quoniam ignoratur quænam esse debeat ecclesia parochialis suppressa in cathedralem, ut præfertur, erecta, quique, et quanti sint fructus certi, quorum ratione esset subjecta tam solutioni dimidiæ annatæ in cancellaria apostolica, quam etiam ratione prædictæ perpetuæ applicationis illius fructuum solutioni quindenniorum: hinc Nos præmissis omnibus, et singulis minime obstantibus, capitulum dictæ ecclesiæ cathedralis Pinhelensis, ejusque pro tempore existentes canonicos a solutione quindenniorum hujusmodi perpetuo eximimus, et liberamus, ac pro exemptis, et liberatis haberi volumus, et mandamus.

Clausulæ salutares pro plena constitutionis observantia.

§. 11. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut quovis alio defectu, etiam ex eo, quod causæ propter quas præsentes emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatæ, et dilecti filii administratores, seu deputati, sive capitulum, et canonici ecclesiæ Visensis, necnon modernus episcopus Lamacensis, ejusque ecclesiæ capitulum, et canonici, aliique in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, auditique non fuerint, et præmissis non consenserint, ac moderni episcopi Lamacensis prædicti consensus præstitus non sit, seu irrationabiliter, ut præfertur, denegatus, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum ad summi apostolatus apicem, vel alias quandocumque editas, seu sub quibusvis tenoribus, et formis emanatas, et in posterum emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes episcopum, ac dignitates, capitulum, et canonicos ecclesiæ Pinhelensis hujusmodi eligenda, restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo concessas, semperque validas esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, nec non episcopo, dignitatibus, capitulo, et canonicis ecclesiæ Pinhelensis ejusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 12. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus Nostris, et ejusdem cancellariæ apostolicæ regulis de gratiis, indultis, et indulgentiis ad instar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibusque, et generalibus conciliis editis, vel edendis constitutionibus: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Onus inscribendi taxam in libris Cameræ pro ecclesia Pinhelensi in florenus noungentos, et pro ecclesia Lamacensi in flore-

§. 14. Volumus autem, quod taxa ecclesiæ Pinhelensis describi debeat proportionabiliter, videlicet in una parte unius ex tribus tertiis, quæ ad ecclesiam Lamacensem, ac in altera parte etiam unius ex tribus tertiis, quæ

nos biscentum et pro ecclesia Visensi in florenos mille sexcentum.

ab ipsa ecclesia Visensi respective dismembrantur in totum in florenis noningentis; et taxa dictarum ecclesiarum dismembratarum, scilicet Lamacensis, quæ in florenis tercentum, nec non Visensis, quæ in florenis bismille quadringentis in dictis libris modo respective descriptæ reperiuntur, minui, et reduci debeant, et in iisdem libris illarum respective taxæ, Lamacensis videlicet in florenis biscentum, et Visensis ecclesiarum in florenis mille sexcentum de novo respective describantur; quodque attentis peculiaribus circumstantiis, præsens hæc gratia, utpote per Nostras literas in forma Brevis concessa, minime transeat in exemplum, nec pro exemplo alligari omnino valeat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 13. Julii 1770. Anno II.

## LXXXI.

Confirmatio canonicæ electionis episcopi Spirensis, factæ ad tramites concordatorum Germaniæ a capitulo ecclesiæ cathedralis ipsius civitatis.

Clemens PP. XIV.

In nomine sanctissimæ, et individuæ Trinitatis. Amen.

Tenor instrumenti electionis.

§. 1. Sanctissimo Domino nostro Clementi XIV. Pontifici optimo maximo = Domino nostro clementissimo humillimi, ac devotissimi clientes Alexander Joannes Henricus liber baro de, et in Sickingen præpositus, Augustus Philippus Carolus comes ab Octingen Baldern custos, Carolus Adolphus Josephus Damianus comes ab Hoensbroech, Joannes Nepomucenus comes de Montfort, Joannes Carolus Casimirus comes de Stadion, Franciscus Carolus Philippus liber baro de Greiffen clan, Franciscus Philippus ab Hutten in Stoltzenberg cantor, Fridericus Ludovicus Antonius de Misbach, Josephus Antonius Sigismundus de Beroldingen, Alexander Franciscus liber baro de Westenberg, Philippus Franciscus Wildericus liber baro de Walderdorff, Christianus Franciscus ab Hacke, et Christophorus Philippus Wilibaldus liber baro Hohenfeld omnes ecclesiæ cathedralis Spirensis canonici capitulares ejusdem ecclesiæ capitulum in præsens constituentes, et repræsentantes ob infrascriptam electionem capitulariter congregati cum humillima, et devotissima submissione post sanctissimorum pedum oscula præsentibus notum facimus, atque significare volumus. Cum e vivis sublato vicesima mensis aprilis anni currentis eminentissimo, et celsissimo principe domino Francisco Christophoro S. R. E. presbytero cardinali episcopo Spirensi ecclesiarum principalis Weissenburgensis, et equestris Odenheimensis præposito, sacri romani imperii principe ex inclyta, et perantiqua gente liberorum baronum ab Hutten in Stoltzenberg domino nostro clementissimo, ejusdemque corpore sepulturæ tradito, necnon celebratis exequiis, ne ex diuturna vacatione sedis episcopalis viduata ecclesia grave damnum, et dispendium pateretur, nos qui tunc præsentes eramus ad tractandum de futuri episcopi celebranda electione, vel postulatione ad nos vigore concordatorum Germaniæ spectante, et quæ in negotio tam arduo deliberanda forent, terminum canonicum videlicet vicesimam nonam maii anni currentis cum continuatione, quatenus opus foret, dierum insequentium pro nova electione, seu postulatione duximus statuendum, et designandum, prout statuimus, et concorditer designavimus. Vocatis itaque, et legittime citatis ad negotium hujusmodi absentibus, et tum præsentibus etiam omnibus, qui electioni, seu postulationi huic celebrandæ debuerunt voluerunt, et potuerunt commode interesse, tandem adveniente hoc die peremptorie constituto, præmisso pulsu majoris campanæ, ac missa de Spiritu Sancto solemniter decantata, mox exinde capitularem locum ingressi, januisque clausis, et duobus nostris apostolicis, et testibus infrascriptis ad interessendum hujusmodi negotio convocatis, et specialiter requisitis, refixa prius per cursorem capituli citatione ad valvas, organo plurimum reverendi, et illustris domini Augusti Philippi Caroli comitis de Limburg Stirum decani nostri admoniti sumus, quod si aliquid ex nobis quavis causa excommunicati, suspensi, sive interdicto aliquo notati, aut alias inhabiles forent, ut de jure, et consuetudine ejusmodi electioni, seu postulationi interesse non possent, aut deberent, a nobis recederent, reliquis liberam electionem, seu postulationem per-

mittendo, quodque ipsorum, et cujuslibet eorum sic litigatorum voci si quos interesse apparet non connumerari, sed pro non receptis, aut admissis prorsus haberi deberent. Quibus præviis apparuit quod dominus præpositus liber baro de et in Sickingen legittime citatus, de qua citatione per ipsas ad reverendissimum capitulum exaratas literas facta est edoctio: nec in persona, nec per procuratorem comparuerit, quapropter per reverendissimum dominum decanum accusata contumacia, et a reverendissimo capitulo pro contumace declarato dicto præposito, necnon lecta deinde absentis canonici domini custodis comitis ab Oettingen Balderro constitutione in personam domini capitularis de Beroldingen directa, eaque adprobata, et sic, nemine excepto, domino præposito libero barone de et in Sickingen legittime pro contumace declarato capitularium absente, nec non præmisso speciali juramento de eligendo in episcopum tali, quem quisque nostrum crederet, et putaret futurum ecclesiæ, tam quoad spiritualia, quam temporalia ad regendum utiliorem, et digniorem, neque in talem consensuros qui promissione alicujus rei temporalis directe, vel indirecte per se, vel per aliam interpositam personam comperiretur, illicito modo sibi eligentium vota studuisse procurare, de electione, seu postulatione novi episcopi, ac præpositi, nec non super modo, et forma tractare cœpimus, dumque omnibus, excepto nemine, placeret per viam quasi inspirationis hoc in negotio procedere per vota unanimia, cooperante Spiritus Sancti gratia elegimus, et electum designavimus in episcopum Spirensem, et præpositum Weissenburgensem admodum reverendum et perillustrem reverendum dominum Augustum Philippum Carolum S. R. I. comitem de Limbourg Stirum ecclesiæ nostræ cathedralis decanum de nobili, et militari gente ex utroque parente prognatum, in legittima ætate, nec non præsbyteratus ordine constitutum, de vitæ honestate, gravitate, et integritate morum, nec non agendarum rerum dexteritate apprime commendatum. Inde præfatus dominus Carolus Adolphus Josephus liber baro de Misbach scholasticus electionem ita canonice perfectam publicavit, seu proclamavit in hunc, uti sequitur, modum.

Publicatio electionis.

§. 2. Ego Carolus Adolphus Josephus liber baro de Misbach canonicus capitularis hujus cathedralis ecclesiæ, et scholasticus, meo, totiusque capituli nominibus ad laudem, et honorem omnipotentis Dei, nec non beatissimæ semper virginis Mariæ specialis patronæ nostræ in episcopum hujus ecclesiæ cathedralis Spirensis, et præpositum Weissenburgensem eligo, et electum pronuncio admodum reverendum ac perillustrem dominum Augustum Philippum Carolum S. R. I. comitem de Limbourg Stirum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Acceptatio electionis, et possessio capta ab episcopo noviter electo.

§. 3. Post hæc dominus electus, ne dispositioni divinæ contraire videretur, in electionem sic factam prævia eleganti allocutione, consensit, onusque sibi impositum, seu imponendum patienter suscepit, et acceptavit, nemineque contradicente juramentum consuetum præstitit, cui nos omnes, et singuli secundum ordinem desuper gratulati sumus, ac exinde electionem hanc sic feliciter terminatam de unanimi omnium nostrum consensu per sæpedictum dominum liberum baronem de Misbach scholasticum ecclesiæ nostræ, clero, et populo copiose in ecclesia cathedrali congregatis more solito versus chorum in latino, et versus populum in theutonico sermone solemniter fecimus publicari, et promulgari, qua publicatione sic peracta dominus neo-electus e loco capitulari processionaliter in chorum ecclesiæ introductus, ad solium episcopale ductus fuit; ex quo tempore hymnus Ambrosianus campanarum pulsu solemniter decantatus, et neo-electus ad summum altare in faldistorio est collocatus, cui nos omnes, et singuli denuo identidem aggratulati sumus nobilissimo, et honorificentissimo hominum cœtu assistente, et de tali electo dignissimo præsule jubilante, et Deo gratias agente.

Preces porrectæ pro confirmatione electionis.

§. 4. Quapropter, sanctissime, et beatissime Pater, Sanctitati Vestræ humillime, et devotissime supplicamus, quatenus prædictam electionem sic canonice celebratam, clementissime confirmare, ipsumque electum viduato nostro episcopatui et incorporatæ præposituræ Weissenburgensi præficere, cumque propter bellorum injurias proventus episcopatus, nec non præposituræ Weissenburgensis notabiliter defuerint eidem præbendam, et canonicatum, quos in ecclesia cathedrali Hildhesiensi possidet ex benignitate apostolica ulterius defructuandos concedere non dedignetur. Cæterum ut Sanctitas Vestra evidentius cognoscat præmissa omnia, eo uti diximus modo fuisse pe-

racta, et electionem canonice factam, nemine contradicente, præsens hoc publicum instrumentum, decretum electionis in se continens per notarios publicos infrascriptos, et testes ad hunc actum adhibitos, et specialiter rogatos subscriptionibus eorumdem, et sigillorum appositionibus jussimus roborari, illudque ita perfectum Sanctitati Vestræ per agentem nostrum in curia cum humillima animorum submissione, et decenti reverentia præsentari. Acta sunt hæc Spiræ in loco solito capitulari ecclesiæ cathedralis Spirensis anno Domini MDCCLXX. inditione tertia pontificatus sanctissimi Domini Nostri Clementis XIV. anno secundo, vicesima nona maii, præsentibus ibidem circa hanc electionem, ejus publicationem ac consensum domini neo-electi, prout in ipsius installationem, seu possessionis dationem plurimum reverendis dominis Francisco Josepho Menuweg decano, et Joanne Bernardo Wonder Mast canonico capitulari ecclesiæ collegiatæ Weissenburgensis, nec non Joanne Melchiorre Gotz ecclesiæ hujus cathedralis præbendario testibus ad omnia præmissa specialiter requisitis.

Publicatio decreti electionis canonicæ expletæ, et recognitæ.

§. 5. Et quia ego Joannes Franciscus Christianus Wolff sacra auctoritate apostolica notarius publicus, necnon episcopatus Spirensis consiliarius aulicus, ac reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Spirensis secretarius his electionis, publicationis, acceptationis, possessionis, dationis, et introductionis actibus, omnibusque aliis, et singulis, sicut præmittitur peractis una cum prænominatis testibus, et protonotario publico infrascriptis præsens interfui, eaque sic fieri vidi, et audivi; ideo præsens publicum decreti electionis instrumentum desuper conscripsi, subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, sigilloque notariatus mei consignavi, in fidem, et testimonium omnium, et singulorum præmissorum specialiter requisitus.

Joannes Franciscus Christianus Wolff notarius publicus de super requisitus.

Alia similis.

§. 6. Et quia ego Ignatius Franciscus Baur sacra auctoritate apostolica protonotarius pubblicus, nec non episcopatus Spirensis consiliarius intimus, ac reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Spirensis syndicus his electionis, publicationis, acceptationis, possessionis, dationis, et introductionis actibus, omnibusque aliis, et singulis, sicut præmittitur peractis, una cum prænominatis testibus, et connotario publico præsens interfui, eaque sic fieri, vidi, et audivi, ideoque præsens publicum decreti electionis instrumentum desuper conscripsi, subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, sigilloque protonotariatus mei consignavi, in fidem, et testimonium omnium, et singulorum præmissorum specialiter requisitus.

Ignatius Franciscus Baur protonotarius apostolicus specialiter requisitus.

Sequitur legalitas in forma etc.

Spirensis confirmationis electionis

Decretum pro confirmatione electionis, et expeditionis literarum apostolicarum.

§. 7. Quum per obitum eminentissimi et reverendissimi domini Francisci Christophori de Hutten vacaverit ecclesia Spirensis et reverendum capitulum, et canonici ejusdem cathedralis capitulariter congregati vigore indulti ad eorum preces sub die 23. aprilis anni 1761. a sa. me. pp. Clemente XIII. ipsis concessi unanimi voce elegerint per viam quasi inspirationis rev. dominum comitem Augustum de Limburg Styrum præfatæ ecclesiæ cathedralis decanum canonicum capitularem ecclesiæ cathedralis Hildesiensis archidiaconum in Netthigen et Noe nuncupatum ejusdem diœcesis, necnon præpositum præpositturæ primæ dignitatis; non tamen residentialis collegiatæ ecclesiæ sancti Victoris diœcesis Coloniensis Sanctissimus Dominus Noster ad mei infrascripti relationem, actu capitulari diligenter inspecto hujusmodi electionem benigne confirmavit cum clausula *supplentes* etiam in substantialibus, eidemque comiti Augusto concessit retentionem canonicatus, quem possidet in cathedrali ecclesia Hildesiensi, aliorumque compatibilium juxta formam explicandam in literis apostolicis; mandavitque expediri decretum, ac referri inter acta sacræ congregationis Consistorialis. Datum Romæ hac die 13. Julii 1770. = M. Gallo sacræ congregationis Consistorialis secretarius.

Literæ apostolicæ electionem confirmantes.

§. 8. Clemens etc. = Dilecto filio Wilhelmo Antonio ex liberis baronibus ab Asseburg electo Paderbonensi salutem etc. = Personam tuam etc. opportuna cum itaque nos hodie electionem de persona tua per DD. RR. capitulum, et canonicos ecclesiæ Paderbonensis, ecclesia ipsa ad præsens certo hinc expresso modo pastoris solatio destituta canonice celebratam juxta decretum congregationis rebus concistorialibus præpositæ apostolica auctoritate appro-

baverimus, et confirmaverimus, ipsique ecclesiæ Paderbonensi de persona tua Nobis, et venerabilibus fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque illi in episcopatu præfecerimus, et pastorem eorum etc. committendo prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur. Et sicut accepimus tu tempore approbationis, confirmationis, provisionis, et præfectionis prædictarum unum, et unam Monasteriensis; et alterum, et alteram Osnaburgensis ecclesiarum respective canonicatus, et præbendas, atque in dicta ecclesia Osnaburgensi dignitas post pontificalem major existit, ac per unum, et eumdem ex ipsius ecclesiæ Osnaburgensis canonicis, etiam una cum suis canonicatu, et præbenda absque dispositione apostolica obtineri consuevit, præposituram dictæ ecclesiæ Osnaburgensis ex dispositione apostolica obtineres prout adhuc obtines de præsenti. Nos tibi cum quo Nos etiam hodie ut primo, et secundo dictos canonicatus, et præbendas quos ex apostolica dispositione prædicta ut præfertur obtines, ac quorum cujuslibet fructus etc. vigintiquatuor ducatorum auri de Camera valorem annuum, ut etiam accepimus non excedunt, sub certis modo, et forma etiam nunc expressis una cum dicta ecclesia Paderbonensi, quamdiu illi præfueris retinere libere, ac licite valeas per binas alias Nostras literas juxta decretum prædictum eadem apostolica auctoritate dispensavimus, prout in secundis dictis literis etiam plenius continetur, ut statum tuum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas de alicujus subventionis auxilio providere, ac præmissorum etc. censentes motu proprio non ad tuam instantiam, sed ex Nostra mera liberalitate tecum, ut etiam post quam in vim approbationis, confirmationis, provisionis, et præfectionis prædictarum pacificam possessionem, seu quasi regiminis, et administrationis dictæ ecclesiæ Paderbonensis ac illius bonorum, seu majoris partis eorum assequutus fueris, et munus consecrationis susceperis præposituram prædictam, cujus fructus viginti quatuor ducatorum auri de Camera hujusmodi valorem annuum, ut pariter accepimus non excedunt; ut prius etiam cum fructibus obedientiæ nuncupatis, tibi jure optionis spectantibus, et pertinentibus, quod vis etiam una cum dicta ecclesia Paderbonensi quamdiu illi præfueris retinere libere, ac licite valeas.

§. 9. Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac Paderbonensis, et Osnaburgensis ecclesiarum prædictarum etiam juramento etc., cæterisque censuris nequaquam obstantes juxta decretum supradictum apostolica auctoritate prædicta dispensamus. Decernentes propterea præposituram prædictam minime vacare irritum quoque etc. attentari. Volumus autem quod dicta ecclesia Paderbonensis ac præpositura prædicta debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed illius, ac ejusdem ecclesiæ Paderbonensis consueta. Nulli etc. dispensationis decreti, et voluntatis infringere vel etc. incursurum. *Derogatio contrariorum.*

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno MDCCLXXIII. xvii. kalendas junii pontificatus Nostri anno quinto.

---

## LXXXII.

*Dat. die 23. Julii 1770. Anno II.*

Paulo Eszterhazii priori generali ordinis monachorum sancti Pauli primæ eremitæ, suisque in generalis prioratus officio successoribus, indultum pontificalium, et facultas utendi habitu ad instar prælatorum, etiam in urbe, necnon monachis professis tonsuram, et quatuor minores ordines conferendi, aliaque privilegia perpetuo conceduntur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Decet romanum Pontificem, cui divinitus dispensationis ratio credita est, ad ea vota, per quæ personarum sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, uberesque bonorum operum fructus, illo, a quo bona cuncta procedunt, donante, proferre assidue satagentium decori, et commoditati per amplius consulitur, libenter intendere, ac in iis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire. *Proemium.*

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Eszterhazii prior generalis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitæ, quod cum ipsius institutum ad monachorum ordinem per Nos apostolica auctorita- *Preces porrectæ pro obtinendo indulto.*

te pertinere declaratum fuerit, et aliorum ordinum hujusmodi generalis nonnullis gratiis, et privilegiis pari auctoritate sibi ipsis concessis ornati reperiantur, hinc dictus Paulus eisdem prærogativis, et facultatibus in sui ordinis decus, et ornamentum, in suorum monachorum spiritualem commoditatem, ipsum, ejusque in generalis prioratus hujusmodi officio successores uti posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tribuitur prioribus generalibus jus utendi mitra, et baculo, ac annulo, aliisque ornamentis concessis pontificali præditis dignitate, descriptis diebus festis pro quibus concessio valere debet cum suis reservationibus, et conditionibus.

§. 3. Nos igitur ipsum Paulum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Paulo, et successoribus suis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitæ prioribus generalibus quandocumque existentibus, ut in monasteriis ejusdem ordinis mitra, et baculo, ac annulo pastoralibus, et etiam cruce, ac sandaliis, et aliis ornamentis, quibus pontificali dignitate præditi utuntur, et cum quibus sacra facientes incedunt, ad instar, seu eodem prorsus modo aliorum generalium ordinum monachorum hujusmodi in diebus festis solemnioribus, nempe nativitatis, et paschatis resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, pentecostes, assumptionis beatæ Mariæ virginis, ac in die sancti Pauli primi eremitæ uti, ac etiam post nocturnas, seu matutinas horas, necnon missam decantatam, et vesperas benedictionem solemnem post missarum, vesperarum, matutinorum, et aliorum divinorum solemnia supra populum tunc interessentem, dummodo inibi diœcesanus, seu alius antistes, aut aliquis apostolicæ Sedis legatus præsens non sit, vel si præsens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri, ac christifidelibus hujusmodi benedictioni interessentibus etiam decem dierum indulgentias, et peccatorum remissiones, concedere, seu decem dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxare, et publicare in forma Ecclesiæ consueta, et singulos ordinis prædicti monachos professos ad hoc idoneos clericali charactere insignire, et ad quatuor minores ordines simul, vel successive, prout expediens fuerit, quibusvis festivitatibus promovere, ac ordines eis conferre, nec non vestes, indumenta, ornamenta, et paramenta ecclesiastica, libros, imagines, cruces, campanas, calices, vasa, et tabernacula quæcumque ecclesiarum, et monasteriorum dicti ordinis, ac altaria eorum benedicere, easdemque ecclesias, vel earum cœmeteria, et alia loca ecclesiastica quovis modo pollutas, vel polluta, aqua tamen per aliquem catholicum antistitem, ut moris est, benedicta, reconciliare, habitumque prælatorum more coloris albi cum mozzetta, et mantelletta, etiam in romana curia, gestare ipse Paulus prior generalis libere, et licite possit, et valeat, ejusdemque Pauli priores generales successores prædicti ordinis perpetuis futuris temporibus respective possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares, ut literæ apostolicæ omnimodam obtineant executionem.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non, quatenus opus sit, dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et

de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia julii anno millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 6. Augusti 1770. Anno II.

## LXXXIII.

Quanta sit Josephi Portugalliæ, et Algabiorum regis fidelissimi religio, et erga Pontificem pietas publico declaratur testimonio.

Clemens PP. XIV.

Venerabiles Fratres

Laudes fidelissimi regis.

§. 1. Quod tandiu optavimus, venerabiles fratres, quod a Deo optimo maximo precati semper sumus, in quo cogitationes, et curæ Nostræ assidue sunt versatæ, illud tandem summo divinæ clementiæ munere sumus consequuti. Carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliæ, et Algabiorum regem fidelissimum paterni Nostri amoris officiis excitare vix cœpimus, cum repente pietatem erga Nos suam ultro alacriterque ad Nos deferentem conspeximus, et pristinam illam, atque a majoribus suis tanquam præclarissimam hæreditatem sibi transmissam, nimirum suam erga apostolicam hanc Sedem devotionem novis ac maximis filialis in Nos animi significationibus auctam, et cumulatam lætati sumus. Testatos etiam omnibus ac manifestos præclaros hos suæ in Nos voluntatis sensus esse voluit venerabili fratre Innocentio archiepiscopo Tyri misso ad eum ordinario Nostro nuncio singularibus honoris atque amoris indiciis nuper excepto. Qui simul ac in Lusitaniæ fines pedem intulit, nova omnino atque inusitata decora, ac ornamenta in sui apostolici muneris dignitatem collata, et congesta esse vidit. Fidelissimum autem regem cum primum adiit, eximiæ in illum gratiæ, ac benevolentiæ, in Nos amoris, studii, ac officiorum omnium illustria, ac mirifica plane testimonia extiterunt.

Jucunditas Pontificis exprimitur ob acceptas amoris, et pietatis significationes ab eodem fidelissimo rege.

§. 2. Quamobrem incredibili animi jucunditate perfundimur, ac immortales Deo omnipotenti gratias reddimus, atque habemus, venerabiles fratres, qui temporum ac rerum rationes ita comparatas, ita voluntates affectas esse voluit, ut hæc Nostri pontificatus initia tantæ rei successu, tamque insigni in Ecclesiam collato beneficio illustraret. Quod quidem eo manifestius Deo ipsi referendum intelligimus, quo magis videmus nihil esse, quod inde Nobismetipsis ac diligentiæ industriæque Nostræ tribuamus. Verum ut nullam partem ex hoc tam egregio opere arrogare Nobis possumus, ita amplissimam profecto, ac pulcherrimam veræ gloriæ accessionem esse factam agnoscimus, ac fatemur ad summas fidelissimi regis laudes, qui religionem ac pietatem suam tanta in Nos amoris magnitudine palam omnibus comprobaverit. Quæ quo illustrior est ac præstantior illius laus, eo uberior est etiam jucunditatis Nostræ ratio, cum, quem paterna charitate semper complexi, cuique fausta, gloriosa, atque optima quæque precati sumus, eumdem insignitum esse, atque ornatum hujusmodi præcellentibus in Ecclesiam meritis videamus. Verum amplioribus etiam extendi finibus lætitiæ Nostræ rationes intuemur. Certissime enim confidimus, vobisque recipimus luculentiorem futuram in dies, et clariorem hujusmodi optimam carissimi in Christo filii Nostri erga Nos voluntatem, ejusque novis, atque illustrioribus religionis, ac pietatis argumentis, atque in apostolicam hanc Sedem, et in universam Ecclesiam meritis Nos una vobiscum, venerabiles fratres, esse perpetuo lætaturos.

Datum Romæ in consistorio secreto die vi. augusti MDCCXX. anno II.

---

Dat. die 27. Augusti 1770. Anno II.

## LXXXIV.

Imminutio festorum in civitate, et diæcesi Misnensi.

Venerabili fratri episcopo Pergamensi episcopalis ecclesiæ Misnensis administratori apostolica auctoritate deputato.

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio exponitur qua motus Pontifex immi-

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædeces-

nutionem festorum decernere velit.

sor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. Ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiæ angore contemnuntur. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis nuper expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, in civitate, et diæcesi Misnensi, cujus episcopalis ecclesiæ administrator apostolica auctoritate deputatus existis, adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adiicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Enumerantur dies qui festi habendi sint, eisque nominatim expressis exceptis, cæteri omnes feriati declarantur, addito tantum onere audiendi sacrum in aliis festivitatibus minoribus pariter nominatim enumeratis, et descriptis.

§. 2. Nos itaque, qui christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, idcirco habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum consilio, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in prædicta civitate, et diæcesi Misnensi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, circumcisionis Domini, epiphaniæ, purificationis beatæ Mariæ virginis, annunciationis ejusdem, paschatis resurrectionis cum duabus feriis sequentibus, ascensionis Domini, pentecostes cum duabus feriis, ut supra, corporis Christi, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri, et Pauli, visitationis beatæ Mariæ virginis, assumptionis, et nativitatis ejusdem, sancti Michaelis archangeli, omnium sanctorum, conceptionis beatæ Mariæ Mariæ virginis, nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sancti Stephani prothomartyris, et sancti Joannis evangelistæ festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio, exceptisque diebus festis sancti Matthiæ apostoli, sanctorum Philippi, et Jacobi, inventionis sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ Magdalenæ, sancti Jacobi apostoli, sancti Laurentii martyris, sancti Bartholomæi, sancti Matthæi, sanctorum Simonis, et Judæ, sancti Andreæ, sancti Thomæ apostolorum, in quibus audita omnino missa, servilibus operibus vacare possint, in reliquis vero sanctorum Fabiani, et Sebastiani, conversionis sancti Pauli, sancti Georgii martyris, sancti Marci evangelistæ, sancti Joannis ante portam latinam, sanctæ Margaritæ virginis, et martyris, sancti Donati episcopi, et martyris, exaltationis sanctæ Crucis, sancti Martini episcopi, sanctæ Catharinæ virginis, et martyris, sanctæ Barbaræ virginis, et martyris, sancti Nicolai episcopi, aliisque festis sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales civitatis, et diœcesis hujusmodi constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, præscriptisque, laboriosis suarum artium exercitationibus sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo pariter vacare possint, dicta auctoritate concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, et mandes, salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et

synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; necnon civitatis, et diœcesis prædictarum, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vicesima septima augusti millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 31. Augusti 1770. Anno II.

## LXXXV.

Indulgentia plenaria certis sub clausulis, et conditionibus christifidelibus indulgetur lucranda in altera ex festivitatibus beatæ Mariæ virginis sine macula conceptæ.

Clemens PP. XIV.

Universis christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Designantur piæ operæ prestandæ ab eis, qui indulgentias superlucrare voluerint.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum eremitarum ordinis Camaldulensis congregationis Montis Coronæ ubique existentibus in una ex septem festivitatibus beatæ Mariæ virginis immaculatæ per Ordinarios locorum respective designanda a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem christifidelibus etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis in reliquis sex festivitatibus ejusdem beatæ Mariæ virginis immaculatæ ut supra visitaverint, et ibidem, ut præfertur, oraverint, qua festivitate prædictarum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias, quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; atque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima augusti MDCCLXX. pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 4. Septemb. 1770 Anno II.

## LXXXVI.

Breve Sixti V. quo fuit concessum jus privativum molendi in molendinis communitatis Æsinæ revocatur in parte.

Clemens PP. XIV:

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Commendatæ Nobis, una cum suprema Ecclesiæ, et reipublicæ administratione, omnium populorum apostolicæ Sedis temporali dominio subditorum felicitati, et utilitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, dum ad eorum commoda investiganda, et ad ea pro viribus promovenda sedulo prospicere studemus, illa etiam, quæ a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris dudum constituta desuper fuerunt, opportune temperare non omittimus, quemadmodum

rerum, locorum, et personarum circumstantiis mature perpensis, ad publicum bonum, utilitatemque expedire in Domino arbitramur.

Memoratur quæ fuerit concessio facta a Pontifice Sixto V.

§. 2. Dudum siquidem felicis recordationis Sixtus papa V. prædecessor Noster ad sedandas, dirimendasque lites, et controversias tunc vigentes inter cives, et civitatem Æsinam ex una, atque homines castrorum illius comitatus ex altera partibus, per suas in simili forma Brevis die VIII. julii MDLXXXIX. expeditas literas inter cætera præscripsit, et mandavit, ut castra, et comitativi non possent, nec eorum quilibet valeret quavis occasione, vel causa, directe, vel indirecte facere decreta, per quæ retraherentur comitativi ad accedendum ad molenda eorum frumenta in molendinis communitatis Æsii, quin imo omnes tenerentur, prout fas erat, et pluries resolutum fuerat in consilio generali civitatis, et comitatus prædictorum, transmittere eorum frumenta in dictis molendinis, et contravenientes graviter puniendos esse voluit arbitrio gubernatoris, nisi ex aliqua urgenti necessitate, vel legitimo impedimento ad dicta molendina accedere non possent; quo casu mandavit, ut eis permissum esset alio accedere, dummodo lucrum inde proveniens esset ejusdem communitatis, et alias prout in memoratis literis ipsius Sixti prædecessoris, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, fusius continetur.

A qua tamen concessione summum communitatem sentire incomodum deprehenditur.

§. 3. Publica autem comitatensium utilitas, atque commoditas ex dispositione hac grave admodum sentiit præjudicium, quandoquidem ipsi juxta legem eisdem literis præscriptam, vel omnino tenebantur pro molendis eorum frumentis adire molendina prædictæ communitatis non sine maximo eorum incommodo, itinere trium, quatuor, et etiam quinque, et ultra milliariorum peragendo, viis, hyberno præsertim tempore, difficillimis, vel si nollent iisdem molendinis uti, duplicem moliturae mercedem persolvere erant obstricti. Hoc vero, quod progressu temporis, et rerum usu apparuit, in causa fuit, propter quam inter diversas ordinationes deinde præscriptas a congregatione super bono regimine communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici, prævaluit libertas comitatentium eorum frumenta ubilibet molendi, eamque locum sibi vindicasse, ac effectum habuisse demonstrant contractus locationum, qui postmodum ab eadem communitate Æsina desuper initi fuerunt; vel enim nulla unquam in eis legitur facta mentio privativi juris molendi frumenta comitatensium in molendinis communitatis, juxta earumdem literarum dispositionem præscripti, vel, si quando, prout evenit in locationibus annorum MDCLXIV., et MDCLXVII. aucta a conductore fuit pars aliqua responsionis annuæ ea sub lege, quod augmentum hujusmodi tunc persolvendum esset, quando nempe dicta communitas locatrix earumdem literarum executionem ita obtinuisset, ut homines castrorum, seu comitatus, aut eorum frumenta ad molendina prædicta deferre, aut moliturae mercedem eorum conductori solvere deberent; hoc sane annuæ responsionis augmentum hac sub expressa lege a conductore oblatum, nunquam ab eo communitati locatrici postmodum reipsa persolutum fuisse constitit. Quamvis autem ex præmissis omnibus, disposita super hujusmodi re in memoratis literis effectu caruisse omnino appareat, nihilominus dilectus filius Joannes Baptista Santini, qui molendina prædicta nuper ab eadem civitate, nulla literarum ipsius Sixti prædecessoris mentione facta, nec ullo in casu earum executionis oblato annuæ responsionis augmento, conduxit sub iisdem pactis, et conditionibus, quibus antea molendina hujusmodi locata a dicta civitate fuerunt, ea prorsus inaudita, et innixus tantummodo dispositioni prædictarum literarum petiit, ac die IV. junii MDCCLXVIII. obtinuit a memorata congregatione rescriptum pro publicatione, et renovatione edicti, cujus vigore iidem comitatenses ad molenda eorum frumenta in molendinis dictæ civitatis cogebantur.

Et jurgiorum causam surrexisse memoratur.

§. 4. Hac itaque de re, nomine tam præceptoriæ, seu commendæ sanctorum Philippi, et Jacobi hospitalis sancti Joannis hierosolymitani, quam abbatiæ s. Mariæ Claræ Vallis nuncupatæ supplices porrectæ fuerunt preces eidem congregationi, petendo manutentionem in possessione molendi frumenta comitatensium hujusmodi in eorum molendinis, et sub diebus XXVIII. augusti MDCCLXVIII., et XXI. januarii MDCCLXIX. votis conforme prodiit rescriptum. Nec defuerunt alii possessores itidem circumexistentium molendinorum, et comitatenses, qui æque manutentionem postularunt in libertate molendi, et respective frumenta ad sibi benevisa molendina deferendi; ac

denique dilecti quoque filii magistratus ejusdem civitatis Æsinæ et ipsi pariter congregationi prædictæ exposuerunt, privativum jus molendi ab ipso Joanne Baptista conductore prætensum, novum, injustum, ac minime exequendum esse, neque in capitulis locationis cum eo peractæ expressum reperiri. Eadem vero congregatio die xiv. januarii MDCCLXIX. postquam pro parte conductoris hujusmodi coram ea expeditum insuper fuerat monitorium, rem totam, et super omnibus in porrectis precibus contentis, ut præfertur, dilecto filio magistro Romualdo Guidi ejusdem congregationis secretario dignoscendam, definiendamque commisit.

Ad pacem vero servandam, litesque dirimendas derogatur Sixtinæ constitutioni in ea parte, quæ præcipit, quod frumentum transmittatur ad molendina communitatis Æsinæ, vel saltem quod omne lucrum inde proveniens eidem communitati pertineat.

§. 5. In hoc itaque rerum statu, Nos vestigiis ejusdem Sixti prædecessoris inhærendo, et æque ac ipse inter Nostros, et apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditos quietem, pacem, mutuamque concordiam, quantum cum Domino possumus confovere, omnemque inter eos litium, et controversiarum originem penitus dirimere volentes, ac earumdem literarum ipsius Sixti prædecessoris tenores, ac litis, seu litium, et causarum omnium desuper tam coram alia congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticæ et controversiis jurisdictionalibus præposita, atque coram alio quocumque judice, et tribunali promotarum, ac pendentium statum, aliaque quæcumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, ac exactissime specificatis habentes; motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine lites, et causas hujusmodi inter nonnullos ex prædictis possessoribus circumexistentium molendinorum, ac comitatensibus ex una, et memoratum Joannem Baptistam conductorem ex altera partibus, tam coram prædictis congregationibus, earumque secretariis, quam coram aliis judicibus quibuscumque super præmissis vertentes, motas, et pendentes in statu, et terminis, in quibus de præsenti reperiuntur ad Nos harum serie cum suis emergentibus, adnexis, et connexis avocamus, illasque sic avocatas motu, scientia, et deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus perpetuo supprimimus, et extinguimus, perpetuumque silentium desuper imponimus, osque occludimus. Ac propterea commoditati et utilitati comitatensium prædictorum paternæ charitatis affectu consulere volentes, itaut ipsi libertate ubicumque molendi eorum frumenta propriis laboribus, ut plurimum, comparata, qua usque adhuc gavisi sunt, in posterum perpetuo quiete, et tranquille gaudeant, et fruantur, neve tam grave, et intollerabile onus privative adeundi molendina dictæ civitatis ipsi subire unquam coacti sint, memoratas literas ejusdem Sixti prædecessoris die viii. julii MDLXXXIX., ut præfertur, expeditas in ea tantum parte, qua præscriptum fuit, ut comitativi teneantur transmittere eorum frumenta ad molendina communitatis Æsinæ, vel saltem, quod omne lucrum inde proveniens ad eamdem communitatem pertineat, una cum omnibus, et singulis quorumvis judicum, et congregationum in executionem prædictarum literarum quomodolibet editis decretis, sententiis, et resolutionibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis, et approbatis, nec non edictum vigore rescripti a primodicta congregatione die iv. junii MDCCLXVIII. novissime, ut præfertur, publicatum, cum aliis singulis, et universis, quæ contra libertatem comitatensium hujusmodi ubilibet molendi eorum frumenta quavis potestate statuta, vel decreta sint, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus revocamus, cassamus, tollimus, et abrogamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita, et annullata, viribusque, et effectu vacua esse, ac perpetuo fore, neque de cætero cuique suffragari posse, vel debere decernimus, et declaramus.

In reliquis vero partibus Sixtina constitutio confirmatur.

§. 6. Volumus autem, quod memoratæ ipsius Sixti prædecessoris literæ in certis omnibus ibidem expressis, atque contentis firmæ, ac in suo robore manere omnino debeant, et exequendæ sint. Ne autem ex nova aliorum molendinorum constructione damnum aliquod in molendina dictæ civitatis obveniat, atque, ut annui redditus ex eis usque adhuc ab ipsa percepti, in posterum etiam, quoad fieri possit, percipiantur, omnibus, et singulis cujusvis status, gradus, et conditionis sive sæcularibus, sive etiam cujusvis ordinis, et instituti regularibus, aliisque ecclesiasticis personis cujusvis status, gradus, et conditionis, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ne ipsi ullo unquam tempore sub quovis prætextu, causa, aut quæsito

colore in civitate Æsina, ejusque jurisdictione, territorio, et comitatu molendinum aliquod hujusmodi ædificare, vel construere de novo possint, ac valeant, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus prohibemus, et interdicimus.

Vetatur propterea constructio cujusvis alius molendini in posterum, et consulitur indemnitati præsentis conductoris molendinorum civitatis.

§. 7. Quod si contra prohibitionem hujusmodi molendinum aliquod in posterum construi, ac perperam ædificari contingat, dilecto filio nunc, et pro tempore existenti gubernatori ejusdem civitatis, ut illud expensis ejusdem ædificantis demolire, ac destrui facere possit, et debeat præcipimus, et mandamus. Ac præterea indemnitati etiam dicti Joannis Baptistæ conductoris consulere cupientes, hinc durante sexennii tempore, ad quod sibi molendina prædicta a memorata civitate locata fuerunt, id adamussim cum eo servandum, et exequendum esse volumus, quod cum præcedenti conductore servatum, executumque fuisse constiterit, itaut ii comitatenses, seu habitatores territorii dictæ civitatis sive sæculares, sive ecclesiastici, et cujusvis ordinis, seu instituti regularis existant, qui præcedentis locationis tempore libertate molendi eorum frumenta in aliis proximis molendinis, extra quoque Æsinam jurisdictionem, seu territorium existentibus usi, potiti, et gavisi fuerunt, eadem libertate hac quoque durante locatione uti, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, absque eo quod nullam etiam molituræ mercedem molendinis ejusdem civitatis persolvere debeant, ac teneantur, illosque omnes nullo modo hac de causa molestari, perturbari, ac inquietari posse præcipimus, et jubemus. Cæteri vero comitatenses, et habitatores territorii prædicti Æsini, qui revera præcedentis locationis tempore hac libertate molendi eorum frumenta in aliis proximis molendinis gavisi minime fuerunt, quoties ipsi pro molendis eorum frumentis, eis uti nunc velint, solam tantum molituræ mercedem dicto conductori, præsenti locatione dumtaxat durante, persolvere teneantur, ac debeant.

Quæstiones omnes quæ supra dubium aliquod suboriri possent, remittuntur definiendæ extrajudicialiter, et absque figura judicii gubernatori prædictæ civitatis.

§. 8. Quo circa eidem gubernatori prædictæ civitatis per præsentes committimus, et mandamus, ut si dubium aliquod hac in re oriri contingat, ipse extrajudicialiter omnino, summarie, ac de plano, sola facti veritate inspecta, super orto dubio quidquid in Domino sibi expedire videbitur, quacumque appellatione, recursu, et reclamatione postpositis, sua prudentia, et charitate erga omnes statuat, atque decernat, itaut nullum comitatensibus prædictis inde onus obveniat, solumque, præmissa adhibita distinctione, conductoris prædicti indemnitati hoc modo consulatur. Absoluto autem sexennii locationis molendinorum civitatis hujusmodi tempore, omnibus, ac singulis civibus, et habitatoribus tam civitatis Æsinæ, quam ejus territorii, castrorum et comitatus, ac ejus, et illorum pertinentiarum quarumcumque plenam, et omnimodam facultatem, et libertatem ubilibet in sibi benevisis molendinis molendi eorum frumenta, et legumina, aliaque omnia, sive molendina in civitate Æsina, sive in illius territorio sive extra illam, et illud respective existant, et ad quascumque sive ecclesiasticas, sive sæculares personas spectent, et pertineant, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo concedimus, et indulgemus, eamdemque facultatem, et libertatem nullo unquam tempore impugnari, retractari, aut sub quovis consuetudinis, alteriusve causæ prætextu in dubium revocari minime posse præscribimus, et jubemus, sed civitatem prædictam in peragenda nova suorum molendinorum locatione, ad publicam reddendam omnibus eamdem libertatem, et facultatem, abrogato penitus quocumque jure privativo molendi frumenta in suis molendinis, teneri volumus, et præcipimus.

Executio vero literarum apostolicarum privative committitur sacræ congregationi Boni Regiminis

§. 9. Nosque ipsi quodcumque, et qualecumque jus privativum hujusmodi nunc, pro tunc, et quando nova locatio prædicta peragenda erit, cassamus, tollimus, et omnino abrogamus illudque pro cassato, sublato, et abrogato haberi perpetuo volumus, et mandamus. Ea vero omnia, quæ executionem præsentium Nostrarum literarum quocumque modo respiciunt una cum suis incidentibus, emergentibus, dependentiis ad jurisdictionem ejusdem congregationis super bono regimine civitatum, et universitatum prædictarum privative pertinere motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, decernimus, et declaramus.

Clausulæ salutares pro omnimoda executione literarum adversus quas excluditur etiam reclamatio ob defectum obreptionis, et subreptionis, vel alterius etiam in corpore juris clausi.

§. 10. Decernentes insuper easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, et alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, seu causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, justificatæ, et verificatæ non fuerint,

aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, privilegiata causa, colore, prætexta, et capite etiam in corpore juris clauso, et enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, et in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis quibuslibet quomodolibet qualificatis, et specialem mentionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## LXXXVII.

Dat. die 6. Septemb. 1770 Anno II.

Confirmantur nonnullæ ordinationes, et declarationes factæ a ministro generali ordinis Cappuccinorum pro conventu sancti Lucar de Barrameda ejusdem ordinis in seminarium missionum designato.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium

§. 1. Ad pastorale fastigium per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque clementiæ abundantiam plane immerentes evecti, illa, quæ pro felici, prospero, ac recto christifidelium sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, uberesque fructus in vinea Domini proferre jugiter satagentium regimine, et directione salubriter, prudenterque statuta fuerunt, apostolicæ confirmationis præsidio communimus, piisque orthodoxorum regum magnis, eximiisque meritis in Ecclesiam Dei fulgentium, atque id expostulantium votis libenti animo annuimus.

Rex Hispaniarum exponit nonnulla fuisse disposita a defuncto ministro generali ordinis, pro conservanda puriori observantia constitutionum ordinis.

§. 2. Nomine siquidem carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici Nobis nuper expositum fuit, quod aliqui ex fratribus ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum provinciæ Granatensis puriorem observantiam constitutionum dicti ordinis apostolica auctoritate confirmatarum desiderantes, aliique ex illis sacris missionibus operam dare enixe cupientes, sua hæc desideria patefecerunt quondam Paulo a Colindres tunc temporis ministro gene-

rali ipsius ordinis, qui conventum oppidi civitatis nuncupatæ sancti Lucar de Barrameda pro seminario missionum hujusmodi constituit. Præterea idem Paulus, ut volitus purioris observantiæ constitutionum ejusmodi, sacrarumque missionum finis assequeretur, nonnulla utpote necessaria, ac utilia duxit pro eodem conventu disponere, et ordinare; quæ vero ab ipso Paulo disposita, et ordinata fuerunt, sequentis tenoris sunt, videlicet.

Tenor primi decreti ipsius ministri generalis.

§. 3. Frater Paulus a Colindres totius ordinis fratrum minorum sancti Francisci Cappuccinorum minister generalis. = Venerabilibus patribus, et carissimis fratribus conventus nostri civitatis sancti Lucar de Barrameda, salutem in Domino Jesu Christo etc. = Cum aliqui religiosi ad puriorem nostræ seraphicæ regulæ, ordinis constitutionum, ac generalium ordinationum observantiam spiritus fervore anhelantes, hæc sua sancta desideria nobis repræsentassent, et alii pariter repræsentassent missionum exercitium in hac sancta provincia jam modo corruisse ab illo florentissimo statu, quem præcedentibus annis in ea habuerat, in qua patres Felicianus Hispalensis, Ludovicus Ovetensis, et alii nonnulli apostolicis suis prædicationibus, ac mirabilibus conversionibus innumeras animas Deo, ac coelo lucrifacientes, immortalem memoriam, magnumque eidem provinciæ honorem reliquerunt. Indispensabile nostræ intrinsicæ obligationis esse duximus, solatium, quod tam sancte, ac juste desiderant, eisdem præfatis religiosis libenter tribuere, in eorumque sanctos fines pro parte nostra in quantum possumus efficaciter coadjuvare. Idcirco ad hujusmodi effectum præfatum nostrum conventum sancti Lucar de Barrameda, uti religiosæ abstractioni magis idoneum deputavimus, assignata pro eo familia religiosorum, qui ibidem modo inhabitare, ac commorari debent; ita taliter, ut nemo ex illis, exceptis clericis, ad alium conventum, neque ad hunc ex aliis conventibus absque nostro prævio consensu aliquis religiosus transferri possit. Et pariter vacantibus guardianatus, aut vicariatus officiis, ex nulla alia familia, sed ex hac determinate debet esse, qui ad talia munera, vel officia eligendus sit, prout jam in ordinationibus, quas pro tota provincia, finita visitatione, quam in ea fecimus, expresse continetur. Utque hujusmodi providentia debito modo firma, ac stabilis perseveret, atque purioris observantiæ, ac missionum exercitiis duplex præmemoratus finis absque alterutrius impedimento commode obtineri valeat, omniaque majori cum ædificatione, ac exemplo peragantur, necessarium duximus pro præfato nostro conventu disponere, et ordinare sequentia.

Peculiaria statuuntur circa recitationem divini officii.

§. 4. Primo. Cum tota exactitudine, ac puritate observari debent ea omnia, quæ in regula, et constitutionibus, ac consequenter, quæ in nostris generalibus ordinationibus, quas ab urbe romana expediri jussimus, et in præfatis pro hac provincia determinate relictis, continentur; idcirco ad ea relative indispensabilia erunt completorium cum vespertina oratione mentali tempore consueto, matutinum media nocte, et alia omnia, quæ ad divinum cultum spectant.

Item alia quoad paupertatis votum.

§. 5. Ita pariter observari debent, quæ ad sanctam paupertatem pertinent, et in prædictis regula etc. expresse habentur, consequenterque nulli religioso denarios, vel quodcumque aliud pro missis, prædicatione, vel quolibet alio labore etiam gratuito datum, vel oblatum ad usum suum particularem, vel propriam dispositionem recipere licet; neque emendicabitur panis, cera, aut quodcumque aliud nisi in sua respective specie: nec mittent, aut habebunt in socium tertiarium aliquem, nec sæcularem, qui in illa ostiatim, ut in nonnullis conventibus practicatum est, petat, aut colligat; nam prædicta omnia in propria respective specie sine pecuniæ admissione cum sancto zelo postulando, ac de divina providentia firmiter confidendo, quæque nostri muneris, vel obligationis sunt fideliter adimplendo, infallibiliter experimur, quod nobis a Domino promittitur: *Jacta curam tuam in Domino, et ipse te enutriet: quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

Item alia super modo occurrendi imprævisis necessitatibus.

§. 6. At vero si præfata eleemosyna in propria specie non sufficiat pro aliqua necessitate, quæ revera sit talis, tunc, et eo casu licitum erit recurrere ad devotos, sive benefactores (quos amicos spirituales appellat nostra regula) eis manifestando necessitatem, aut necessitates, humiliterque petendo, ut his subvenire dignentur: talis quippe recursus, adhibitis modis, et cautelis a Nicolao III., et Clemente V. præscriptis, cum quibus regula in hujusmodi casibus pure observatur ab omni culpa, sive vitio immunis erit. Si

autem neque per supradictum recursum, omnia, quæ vere necessaria sint, possint haberi, eo casu bene poterunt aliquem numerum missarum admittere, cum quarum eleemosyna debite provideatur necessitati, sive necessitatibus occurrentibus.

Deputatio commissariorum, qui cognoscere et definire teneantur quomodo sit ipsis necessitatibus consulendum.

§. 7. Ne tamen circa hanc materiam committatur aliquis excessus, aut defectus, et ne prælatus, vel conventus superior scrupulis angatur, an excesserit, vel defecerit; ordinamus, ut ipse superior exponat præsentem statum, et necessitatem conventus coram quatuor patribus, qui inter omnes illius familiæ sint in religione antiquiores, quos pro hujusmodi casu, ac aliis, qui possint occurrere, eligimus, et nominamus in commissarios, sive conjudices, et per majorem partem suffragiorum determinabitur esse, vel non esse necessarium recursum ad amicos spirituales, sive ad missarum eleemosynas, in quarum admissione consentientibus, etiam determinabitur numerus, qui necessarius esse videatur, illum æqualiter inter sacerdotes familiæ distribuendo absque ulla exceptione, neque differentia vel prælati, vel absentis, nec illorum, qui tunc temporis fuerint in missionibus occupati, omnes respective monendo de numero missarum, quæ pro communitate debeant celebrare.

De vita communi gestanda.

§. 8. Volumus item, ut omnia secundum spiritum nostræ regulæ, et juxta praxim apostolorum, et primitivæ Ecclesiæ fidelium habeantur in communi, nihilque usui alicujus in particulari applicatum, exceptis vero habitu, fœmoralibus, chorda, sandaliis, et strophiolis, de quibus ultra conveniens alimentum, et cum respectu ad honestatem, simulque ad paupertatem nostram omnibus suis religiosis prælatus providere debet; qui si circa hæc negligenter se habeat, fiet recursus ad patres commissarios, ut faciant indigentibus providere, ac denique si neque isti congruam dispositionem præbeant, ad reverendum patrem provincialem, vel ad nos poterunt fiducialiter recurrere, ut opportune ipsis provideamus.

De communicatione, et distributione eorum quæ quisque etiam in specie, et quantitate licita receperit.

§. 9. At vero quemadmodum volumus, et vel ipsa ratio exigit, ut quilibet in suis necessitatibus provideatur, ita pariter volumus, et ordinamus, ut quicumque aliquid receperit, quamvis in specie licita, et honesta, et, ut verbo dicam, etiamsi unum pomum, aut pirum esset, illud consignare debebit patri guardiano, ut in communitate distribuatur. Considerando tamen, quod quædam erunt nonnullis necessaria, aliis vero non erunt, ut sunt tabaccum, et chocolata; ordinamus, ut hæc pariter sint communia; si autem alicui fuerint in propria specie donata, in communitatem etiam introducenda sunt, et pater guardianus distribuet illa necessitatem habentibus. Quando vero non possint haberi in propria specie gratuito donata, aut sponte oblata, et aliquis, vel aliqui religiosi habeant legitimam necessitatem illa sumendi, pater guardianus cum dictamine commissariorum, præhabitaque licentia patris provincialis (ut in præfatis ordinationibus pro tota provincia relictis disponitur) recurrere poterit ad missas modo supra relato. Nec prohibemus, quin potius volumus, ut si aliquis devotus donaverit communitati aliquod chocolata, sumatur inter omnes, qui duodecimum annum religionis expleverint. Pariter volumus, ut religiosus, qui non sumat, aut noluerit sumere chocolata, possit sumere in refectorio, vel in culina aliquam refectiunculam, quatenus chori, ac studii labores commode sufferre possit.

Præscriptiones respicientes exercitium missionum.

§. 10. Cum duplex sit finis, qui in præsenti dispositione, aut providentia desideratur, primus scilicet purioris observantiæ, alter vero missionum exercitiis, opus est, ut postquam in præcedentibus ordinationibus illi manet sufficienter provisum, etiam ad providendum respective huic secundo transeamus. Circa quem in primis ordinamus, ut in qualibet hebdomada ab adventu usque ad pascha duobus diebus, scilicet feria secunda, et sexta, a dominica vero in albis usque ad adventum tribus diebus, nempe feria secunda, quarta, et sexta (nisi in aliquo ex illis justa, vel rationabili causa dispensari videatur) habeantur post vesperas diei conferentiæ per integram horam circa illas materias, quæ pro instructione confessariorum, et prædicatorum inservire possint, prout sunt puncta moralia, et casus, qui frequenter in missionibus solent occurrere, quales sunt impedimenta occulta matrimonii ante, vel post illud contractum, invalidorum revalidatio, confessiones sacrilegæ, invalidæ, aut dubiæ, contractus, usuræ etc., vel circa sacram scripturam, misticam theologiam, et ecclesiasticam historiam, interpolando modo unas, modo alias, semper autem utiles, et nunquam quæ solum curiositati, vel

vanitati servire possint; utque præses conferentiarum sit de communi religiosorum acceptatione, ordinamus, ut a sacerdotibus illius familiæ per scrutinium secretum, et per majorem suffragiorum numerum eligatur; hic autem præses (et in absentia ejus alius, qui pariter eligetur) conferentiarum materias, aut casus ab una hebdomada in aliam assignabit, et in eisdem conferentiis postquam cæteri opinionem suam, sine discursu dixerint, ultimo resolvet, quod veritati magis conforme judicaverit.

De silentio perpetuo servando, exceptis horis post prandium, et vespertinam refectiunculam designatis.

§. 11. Ne autem tempus omnibus valde necessarium ab aliquo incassum impendatur, ordinamus, ut ad normam et apices constitutionum inviolabiliter observetur silentium; solumque post prandium usque ad signum silentii, et in æstate etiam post cœnam, vel vespertinam refectiunculam poterunt religiosi habere inter se congressus, seu mutua colloquia; si vero extra hoc tempus occurrat aliqua necessitas, ut unus cum alio loquatur, utroque stante, paucis cum verbis, et submissa voce sese explicabunt. Pariter ordinamus, ut nemo ingrediatur in cellam alterius, exceptis guardiano, et vicario; nam occurrente casu, quo unus debeat accedere ad dicendum, vel petendum aliquid ab alio, aperta janua illud petere, aut dicere poterit: et si opus habeat majori tempore ad consulendum, vel conferendum, vel ad alia quælibet necessaria, petet licentiam a patre guardiano, qui assignabit chorum, aut sacristiam, aut alium locum publicum pro tali negotio tractando, ac expediendo. Gravamus denique circa hanc materiam prælati, et subditorum conscientias, utpote cujus exacta, ac perfecta observantia plurimum conducit ad præfatum duplicem finem assequendum, et ad omnem singularitatis suspicionem, omnemque æmulationem præcavendam.

Quod nemo extra claustra exire possit, absque gravi necessitate.

§. 12. Plurimum item refert abstractio a sæcularibus, et eorum visitationibus: quapropter ordinamus, ut nemo extra claustra exire possit, nisi fuerit vocatus, vel mittatur a superiore ad excipiendam confessionem alicujus infirmi, sive ad eum in mortis agone auxiliandum: excipimus tamen ab hac prohibitione eleemosynarios, et superiorem, dum aliquis devotus, aut benefactor communitatis ab ipso visitari debeat, et etiam quemlibet alium religiosum, qui ejus nomine aliquod negotium conventus peragere teneatur; verum enim vero etiam in talibus visitationibus excusabit se prælatus quantum possit; quippe vel ipsis devotis, et benefactoribus est in ædificationem religiosorum abstractio; e contra vero eorum, quamvis prælati sint, frequentes, et faciles a conventu egressus. Ad evitandos autem illos, qui non raro evenire solent ex communicatione cum aliis religiosis familiis occasione visitationum, solemnitatum, aut funeralium, pater guardianus religiosa cum attentione, ac urbanitate monebit illarum respectivos prælatos, quod propter conventus distantiam, et præcipue ob dispositionem, seu providentiam pro hac familia a provincia de mandato nostro novissime datam, non possint saltem ex parte nostra tales concursus, sive communicationes continuari. Pariter admonebit sæculares, qui ad sua funeralia nostros religiosos vocare, aut invitare solent: prædicta quippe omnia non pauca incommoda, et multa gravamina afferebant.

De honesta corporis recreatione.

§. 13. Esto tamen rationabile, et conveniens corpori, et spiritui, quod religiosi habeant aliquam honestam recreationem. Cum autem in tota provincia omnibus religiosis sit concessum, quod semel in hebdomada possint exire extra claustra, id ipsum etiam concedimus religiosis hujus conventus. At vero volentes, ut hoc fiat sine præjudicio completorii, et orationis mentalis vespertinæ, ordinamus, ut una die in qualibet hebdomada post meridiem egrediatur media communitas ad deambulandum extra populum, et per loca a sæcularibus non frequentata, remanente in conventu alia parte communitatis, ut satisfaciat tempore consueto completorio, (quod recitabunt, si commode cantari non possit), et orationi mentali; pariterque in alio die ejusdem hebdomadæ exibit alia pars, altera in conventu remanente.

De tempore, quo missiones inchoari debeant.

§. 14. Missiones debebunt inchoari ab adventu; utque possint habere tempus conveniens ad se præparandum, qui mittendi erunt ad illas agendas, eligentur die 30 junii (in qua celebratur commemoratio sancti Pauli, et quem ut protectorem, et patronum hujus seminarii venerari debet, ad cujus erectionem permoti, sive inspirati fuimus die conversionis ejusdem apostoli) quatuor ex prædicatoribus hujus familiæ, et per suffragia ejusdem communitatis fiet electio; ex quibus quatuor, duo saltem debebunt esse sufficienter practici in exercitio missionum, et ex his

quilibet assumat pro socio alium prædicatorem, qui non sit æque versatus in præfato missionum exercitio, ita taliter, ut qui non habeant aliquem usum, sive praxim in illo, minime procedant ad faciendas missiones insimul, et soli isti prædicatores missionarii erunt exempti per unum mensem ante suum egressum ab horis minoribus in choro, et per octo dies a matutino, et per alios octo post regressum, celebrareque poterunt missam toto præfato tempore quando in choro cantatur prima.

Quod singuli redire debeant ad conventum ante quadragesimam, etsi missionum agendarum causa discesserint.

§. 15. Ante quadragesimam debebunt ad conventum redire, itaut neque titulo prosequendi in missionibus, neque supplicationibus alicujus, cujuscumque dignitatis sit, poterunt se se diutius detinere; quippe maxime congruit pro renovando, reficiendoque spiritu ad regularis observantiæ jugum tempore convenienti reverti, prout semper fuit in intentione, et votis N. S. P. Pro anno vero sequenti simili modo, et in pari numero eligendi erunt, qui destinari debent ad apostolicum præfatum munus exercendum, ex quibus duo ad minus non erunt ex illis, qui anno immediate precedenti missi fuerunt.

De prædicatoribus a commissariis eligendis, qui sine socio mitti non poterunt, et cum lege revertendi post pascha resurrectionis.

§. 16. Prædicatores hujus familiæ etiam poterunt unam, vel alteram quadragesimam prædicare, si eis recommendata fuerit; nemo tamen absque patris guardiani, et commissariorum consensu illas acceptare, neque sine socio ab ipso guardiano designato ad illas prædicandas ire poterit; transactisque tribus diebus paschatis resurrectionis redibunt ad conventum, quin sub obtentu, aut quocumque prætextu diutius immorari valeant. Hi autem prædicatores quadragesimales gaudebunt eisdem exemptionibus, quæ talibus concionatoribus in tota provincia concedi solent; ea tamen sub lege, ut neque hi, neque supradicti missionarii etiam quando fuerint exempti a choro, minime eximantur a conferentiarum assistentia.

De prædicationibus faciendis extra ecclesias conventus, in plateis civitatis, et per hebdomadas, aut menses ad libitum guardiani.

§. 17. In nostris conventibus invaluit consuetudo concionandi post vesperas in diebus festivis quadragesimæ; unde communiter aliqua perturbatio, et non modicus rumor procedit ex confluentium concursu forsitan deambulandi, aut cum fratribus confabulandi gratia potius, quam sermonem audiendi; quod revera quieti, et religiosæ abstractioni foret incommodum; quocirca magis conveniet, quod habeantur hujusmodi conciones in urbis ecclesiis; ita enim evitabitur præfatum incommodum, et non minus fidelium devotioni satisfiet: nam prout dicere solebat N. Seraphicus pater, majoris ædificationis est in extraneis, quam in nostris ecclesiis prædicare: practicabunt enim concionari in plateis civitatis, uti Gadibus, et in aliis conventibus magna cum ædificatione, et fidelium profectu, fieri solet. Simulque non parum juvabit, ut ipsi prædicatores aptiores, ac expeditiores ad missionum exercitium fiant; illud autem distribuetur per hebdomadas, aut menses ad libitum patris guardiani inter prædicatores, ut omnes charitatem exerceant, et ne appareant sæculo otiosi.

De confessariis eligendis, quorum unus debet esse hebdomadarius.

§. 18. Ex confessariis, qui fuerint in conventu semper debebit esse unus hebdomadarius (incipiendo a patre guardiano, et successive per alios) qui paratus sit ad excipiendas confessiones sæcularium, qui ad illam ecclesiam accedant, et non petant, aut quærant determinate alium confessarium; utque toto matutino tempore sit liber, et in confessionario expositus (et quandocumque non fuerit, et veniat aliquis quærendo confessarium, vocabitur a sacrista) celebrabit missam hora primæ, eritque toto præfato tempore exemptus a choro; sed nemo alius ab illo eximetur nisi fuerit talis concursus pœnitentium, quod non sufficiat hebdomadarius; in hoc quippe casu, qui rarissimus erit, ob circumstantias illius conventus, pater guardianus providebit, ut de cæteris confessariis assistant quotquot sint necessarii.

De distributione celebrationis missarum.

§. 19. Cum difficile sit in tam parvo numero sacerdotum, choro, ac studio vacantium, quod per totum matutinum tempus habeantur in ecclesia missæ, et insuper ob distantiam conventus a civitate paucissimi sint sæculares, qui illuc ad audiendam missam accedant, libenter convenimus in eo, quod duæ tantum reserventur, in æstate scilicet una pro hora octava cum dimidia, et alia pro hora nona pariter cum dimidia; in hyeme vero prima pro nona cum dimidia, et secunda pro hora decima. Utque hujusmodi labor omnibus sit æqualis, alternabunt in eo per dies, vel hebdomadas sine exceptione prælati, et absque ulla differentia inter magis, et minus antiquos.

De ovibus, vel agnis non retinendis.

§. 20. Sumus informati in præfato conventu inveniri quemdam numerum ovium, cujus custodiæ est deputatus aliquis sæcularis; quod revera non est conforme nostræ regulæ, nec ædificatione sæcularibus; quapropter manda-

mus, ut quandocitius interventione syndici apostolici dentur vel macellario, vel alteri, qui carnes necessarias subministrare possit; ut hoc modo nullo tempore possit dici, nos gregem ovium, aut ejus curam habere; et pariter intelligendum de aliis quibuslibet ovibus, vel agnis etiam gratuito datis, si non fuerint in tam parvo numero, quod intra duas, vel tres hebdomadas consumi possint.

De levamine tribuendo infirmis, et poena mulctanda adversus inobedientes.

§. 21. Si quis ex religiosis hujus familiæ non bene se habuerit ratione infirmitatis, aut ex alio motivo monebit nos, ut levamini, ac solatio ipsius provideamus. Pariter si aliquis fuerit notabiliter defectuosus in observandis hujusmodi ordinationibus, pater guardianus per literam, etiam a commissariis subscriptam, nos admonebit, exponendo in ea defectum delinquentis, quatenus circa illum quoque congruenter disponamus.

Quod nec qui per transitum in conventu commorant a chori servitio sit immunis.

§. 22. Cum per illum conventum sit transitus ad alios, ordinamus, ut quicumque illuc ex nostris religiosis hospes advenerit, post primum, vel unum diem exemptionis a choro, eidem debeat assistere absque ulla differentia a religiosis illius familiæ: si autem venerit cum licentia reverendi patris provincialis, ut per aliquos dies possit se in illo conventu detinere, vel quia est in patria sua, vel quia in illa civitate habeat suos parentes, idem observetur cum tali religioso, ac cum reliquis supradictis; permittetur tamen ipsi aliquoties exire ad civitatem cum socio a superiore assignato; nemo tamen ex dictis hospitibus possit ultra octo dies illic permanere.

Quod nullum opus intentet guardianus, absque suffragio commissariorum.

§. 23. Nullum opus, sive fabricam etiam lævis momenti intentet pater guardianus absque dictamine, et suffragio patrum commissariorum, neque si fuerint magni momenti, absque licentia reverendi patris provincialis; confirmamus tamen licentiam, sive permissionem, quam in visitatione concessimus erigendi in illo conventu bibliothecam; et insuper modo item concedimus, ut ponantur duæ januæ, quæ sæcularibus impediant ingressum ad interiora conventus, et ascensum ad dormitorium, ad quod nulli sæculari permittatur cum religiosus vocatur, sed ab illo quæsitus descendere debeat.

De fraterna dilectione servanda.

§. 24. Denique inter omnia, et præcipue exhortamur ad mutuam charitatem inter religiosos illis verbis prædilecti discipuli: fratres diligite alterutrum: diligendo, et ajuvando se ad invicem, ac secundum illud apostoli: alter alterius onera portare: sufferendo, ac supportando se reciproce, animadvertentes, quod sumus membra ejusdem corporis mistici, cujus corpus est N. S. P., sed præcipue Christus Dominus, qui verbis, et exemplis hanc mutuam dilectionem Nobis efficaciter recommendavit, dicens, hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Maxime autem recommendamus assistentiam, et curam infirmorum nihil prætermittendo, quod ad levamen, et consolationem ipsorum inservire possit, etiamsi ad hoc necessarium fuerit recurrere ad pecuniam, prout advertit nostra regula, et efficaciter recommendat, dicens, quod quilibet tenetur fratri suo spirituali servire, sicut ipse vellet ab aliis serviri; omnesque religiosi illos visitent exhortando piis verbis, ac sanctis consiliis; et non intelligatur pro cellis infirmorum supra facta prohibitio ingrediendi in cellam alterius; præcipue vero guardianus, et vicarius illos frequenter visitent ad minus bis, aut ter in die, et designabit pater guardianus aliquem religiosum laicum, aut clericum, qui omnia necessaria illis subministret, prout nostræ constitutiones præscribunt. Denique ex intimo amore paterno omnibus benedictionem elargientes, supplicantesque Altissimum, ut suo potentissimo brachio super apostolicos viros illam corroboret, ac protendat; pro majori omnium, quæ in his ordinationibus continentur firmitate, ita ordinamus, signamus, et nostri officii sigillo communiri jussimus in hoc conventu sancti Joannis Baptistæ civitatis Granatensis die 2. februarii anni 1764.

Declarationes ipsius ministri generalis, super dubiis propositis.

§. 25. Postmodum memoratus Paulus minister generalis pro rerum opportunitate, ac juxta sibi desuper proposita dubia suis literis responsa dedit, aliaque addidit, et declaravit. Harum epistolarum prima conscripta apparet in oppido civitate nuncupata Matriti Toletanæ diœcesis die xv. junii MDCCLXIV., et est tenoris qui sequitur nempe.

Prima declaratio.

§. 26. = 1. Cum ordinationes pro ipso nostro conventu relictæ tam claræ, et decisivæ sint, miramur illas voluntariis interpretationibus adulterari prætendi. In ipsis enim disponitur, ut assistentia chori absque ullo defectu, et interruptione, etiam titulo, sive prætextu confessiones audiendi, observetur. In eisdem provisum est de confessario hebdomadario pro quocumque casu occurrente; solumque quando fuerit magnus concursus pœnitentium posse re-

verendum patrem guardianum unum, vel plures respective ad necessitatem ex aliis confessariis, qui illum adjuvare possint, designare. In quo clare videtur, quemlibet alium, qui absque necessitate, et expresso ordine superioris, etiam titulo confessiones excipiendi, vel cujuslibet aliæ actionis non necessariæ orationi non assistat, esse transgressorem ordinationis, et in puncto valde substantiali.

Secunda declaratio.

§. 27. = 2. Reverendus pater guardianus est superior, cui gubernium communitatis incumbit, non tamen despotice, uti in aliis conventibus faciunt multi; et ex hac ratione designavimus consiliarios, sive commissarios, cum quibus in quocumque casu gravi occurrente consulere, et cum eorum dictamine procedere debet; maxime vero in acceptatione missarum, quas non debet admittere, quin prius ab illis approbetur necessitas, et earum numerus determinetur.

Tertia declaratio.

§. 28. = 3. Reverendus pater guardianus non debet male habere, si quilibet ex commissariis ipsi proponat quodcumque illi videatur conveniens; teneturque cum majori parte suffragiorum se conformare.

Quarta declaratio.

§. 29. = 4. Quod semel propositum, et determinatum fuerit, non est iterum proponendum, nisi circumstantia nova, vel motivum aliquod superveniens, casus substantiam variare videatur; aliter enim esset temeritas, et causa pessimi exempli.

Quinta declaratio.

§. 30. = 5. Quando non sit conveniens aliquem religiosum hujus familiæ in ipsa diutius permanere, illius mutatio a nobis, vel a reverendo patre provinciali per literam a reverendo patre guardiano, et commissariis subscriptam, et non ex dictamine privato alicujus particularis erit petenda. Pariterque quando videatur conveniens, ut ex alio conventu veniat de familia in hanc communitatem aliquis religiosus sacerdos, aut laicus, ad reverendum patrem provincialem, vel ad nos scribere debebunt, ut ad præfatum effectum literæ obedientiales expediantur.

Tenor secundæ epistolæ ipsius ministri generalis, vi cujus novæ additiones, et declarationes inductæ fuerunt.

§. 31. Secunda vero epistola additiones, et declarationes super hujusmodi dubiis continens a dicto Paulo ministro generali conscripta fuit die xxx. novembris ejusdem anni MDCCLXIV. in loco, seu oppido Mataro nuncupato principato Cathalauniæ Barchinonensis, seu alterius civitatis, vel diœcesis, cujus tenor sequens est.

Circa primum: Cum paternitates vestræ exponant non esse sæcularium concursus in duabus missis per ordinationes assignatis, libenter convenio, ut una tantum post conventualem diebus non festivis celebretur, in festivis vero ratio suadet, ut duæ horis determinatis dicantur, quia forsitan aliquis populus concurret.

Circa applicationem quatuor missarum a quolibet sacerdote in singulis mensibus, si paternitatibus vestris videatur opus esse hujusmodi arbitrio pro communitatis, aut individuorum necessitatibus subveniendis, pariter convenio; ea tamen sub lege, ut non semel tantum in perpetuum stabilitum maneat: forte enim contiget, non semper esse necessarium, ideoque ad tres vel quatuor menses limitabitur; quibus finitis, si reverendus pater guardianus, et commissarii existiment esse adhuc necessitatem ad illud prorogandum, facient per alios tres, vel quatuor menses, et ita successive in posterum, ut hoc modo semper, et in omnibus secundum puritatem regulæ procedatur.

Circa tertium: non est inconveniens, ut ad vini eleemosynam, vel ad quamlibet etiam in propria specie petendam, destinetur aliquis sacerdos, quando non fuerit religiosus laicus, aut aliquis tertiarius, qui illam faciat: in tali vero casu a reverendo patre guardiano designabitur ille sacerdos, qui sibi magis idoneus visus fuerit.

Circa quartum: quando conventus non habuerit tertiarios sufficientes, neque ex aliis conventibus aliqui ex illis, qui essent utiles scripserint petentes in istam communitatem venire, reverendus pater guardianus cum dictamine commissariorum dare poterit habitum tertiarii alicui sæculari, qui velit, et petat illum; præhabita tamen notitia de ipsius vita, et moribus; nec ibit ad quærendas eleemosynas, quin prius per aliquot menses in vita religiosa instruatur.

Alia epistola novas afferens declarationes, super materia contenta in præcedentibus decretis.

§. 32. Tertiam insuper epistolam idem Paulus minister generalis die xviii. martii scripsit in civitate Parisiensi, cujus verba sunt tenoris sequentis.

Quærunt paternitates vestræ, utrum sicut pro confessionibus est alternatio per hebdomadas, ita pariter debeat esse pro concionatoribus in plateis, absque exceptione nec guardiani, nec vicarii, nec etiam commissarii tertii ordinis? Ad quod respondeo: patrem guardianum, nisi sponte velit hanc occupationem aliquando sumere, eximendum esse; quia habet alia inexcusabi-

lia sui officii. Idem dico de patre vicario, si fuerit simul commissarius tertii ordinis; si vero non fuerit, alternare debet cum cæteris prædicatoribus.

Quærunt item paternitates vestræ: num pater vicarius, etiamsi non fuerit antiquior aliis patribus ipsius familiæ, debeat esse unus ex quatuor commissariis, qui secundum ordinationes debent esse antiquiores cæteris omnibus? Respondeo, debere esse quatuor magis antiquos communitatis, prout paternitates vestræ mihi referunt designatos fuisse a rev. definitione.

Quarta epistola scripta legitur ab ipso Paulo in civitate Tornacensi die vi. julii, et in hac sequentia habentur, videlicet:

Circa tertium: an scilicet in cœnis sint ministrandi pisces, vel ad illas emendi carnes? Mihi videtur, quod quandocumque habeantur ex pura eleemosyna, et in quantitate, et qualitate convenienti sufficientes pisces, et superaddantur aliquæ herbæ, non posse absque conscientiæ scrupulo emi carnes, ut ministrentur in cœnis, exceptis vero quibusdam diebus recreationis, et nisi aliquis religiosus habeat veram necessitatem, quod ipsius conscientiæ relinquendum est, illas emendi; huic enim providendum est eo modo, quo cum infirmis fieri solet.

Est valde justum, et obligans in conscientia, ut quæ a patre guardiano, et commissariis in suis congregationibus tractantur, habeantur extra illas in stricto silentio, et secreto, maxime, si forent talia, quæ æmulationem, vel aliud inconveniens causare possent, ut in nostris constitutionibus reverendo patri provinciali, et definitoribus præcipitur circa illa, quæ in definitorio tractantur; cum ergo in nostro casu idem finis, et ratio eadem inveniatur, idem pariter ex obligatione juris naturalis observari debet.

Postremo quintam super his epistolam memoratus Paulus Antuerpiæ scripsit die ii. augusti, et est tenoris, qui sequitur, videlicet.

Circa secundum approbamus, quod pater guardianus, et commissarii bis in singulis mensibus, vel pluries, si opus fuerit, habeant suas congregationes pro finibus, et in modo relatis.

Item approbamus, et confirmamus prudens, et zelosum consilium, ut in omnibus concionibus explicetur cathechistice aliquod punctum doctrinæ christianæ.

Pariter approbamus, et confirmamus aliud similiter prudens, et proficuum consilium, ut videlicet, qui fuerint electi ad missiones in suo respective anno peragendas prius disponantur cum exercitiis spiritualibus decem dierum.

Convenimus quoque in eo, quod a die xxiv. junii usque ad viii. septembris ratione excessivi caloris semel tantum in hebdomada habeantur conferentiæ morales.

Est item valde prudens, ut si duo missionarii non fuerint sufficientes pro confessionibus superaddatur alius confessarius, qui illos adjuvare possit, et fiat particeps in laboris merito.

§. 33. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Karolus rex disposita, et a memorato Paulo ministro generali, ut præfertur, ordinata, addita, et declarata quo firmius subsistant, et non solum in proprium eorumdem fratrum, verum etiam aliorum christifidelium bonum, ac utilitatem exactius, et perpetuo serventur, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos piis, ac laudabilibus, et catholico rege dignis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus libenti animo annuere volentes, eorumdemque fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus nomine ipsius Karoli regis Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta omnia, et singula disposita, et ordinata a dicto Paulo ministro generali una cum additionibus, et declarationibus prædictis, et in eis contenta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robus adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam substantiales defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

*Preces porrectæ pro obtinenda confirmatione apostolica, quæ indulgetur, ut ipsa decreta, et ordinationes inviolabiliter observentur.*

§. 34. Mandantes propterea omnibus, et singulis conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi superioribus, fratribus, et personis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut omnia, et singula in præmissis dispositionibus, ordinationibus, declarationi-

*Sanctæ Sedi reservatur jus in futurum variandi, et etiam declarandi constitutiones, et ordinationes.*

bus, et additionibus contenta, et expressa adamussim omnino observent, et exequantur, et, ut ab aliis observentur, diligenter curent, et faciant; nec quidquam in eis a quocumque cujusvis dignitatis, et auctoritatis existat, mutari, alterari, aut revocari quovis modo posse, inconsulta Sede apostolica, prohibemus omnino, ac interdicimus; itaut si dubium aliquod in posterum super earum interpretatione, et executione ullo unquam tempore oriri contingat, pro dubio etiam hujusmodi declarando, ac definiendo, et tollendo ad Sedem prædictam semper omnino recurrendum esse volumus, præcipimus, et jubemus.

Clausulæ salutares.

§. 35. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 36. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, Sedisque apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane; si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 37. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## LXXXVIII.

Dat. die 6. Septemb. 1770 Anno II.

Ordinationes nonnullæ factæ a ministro generali ordinis Cappuccinorum pro conventu de Monnovar in seminarium missionum designato confirmantur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam

Procemium.

§. 1. Perfectioris vitæ studium in iis, qui divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipati sunt quammaxime semper commendatum, ac procurandæ non tantum propriæ, quam etiam aliarum animarum salutis zelus summis laudibus extollendus adeo impulerunt animum prædecessorum Nostrorum romanorum Pontificum ad viros hujusmodi apostolicæ beneficentiæ favoribus prosequendos, ut ipsi quidquam ad optimum utrumque hunc finem assequendum desiderari minime passi fuerint. Nec Nos igitur, quibus Ecclesiæ catholicæ regimen, meritis licet imparibus æternæ sapientiæ consilio commissum est, id desiderare unquam patimur, sed illa etiam, quæ salubriter, prudenterque pro viris hujusmodi regendis, dirigendisque disposita, præscriptaque esse dignoscimus libenti animo dum hoc a Nobis petitur ac pia potissimum sublimium regum vota id expostulant, apostolicæ confirmationis munimine roboramus.

Conventus villæ de Monnovar in seminarium missionum designatur, et constitutiones conduntur.

§. 2. Sane ex parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum Nobis nuper fuit, quod alias nonnulli fratres ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum provinciæ Sanguinis Christi Valentiæ nuncupatæ perciti zelo perfectionis regularis observantiæ, simulque cupientes exercitium sacrarum missionum laudabiliter in dicta provincia peractum prisco nitori restituere, sua quoad hæc ipsi desideria exposuerunt tunc in humanis agenti quondam Paulo a Colindres ejusdem ordinis ministro generali, qui conventum villæ de Monnovar in seminarium missionum designavit, ac pro eo nonnulla una cum provinciali ministro, ac definitoribus provinciæ hujusmodi di-

sponere, ac ordinare censuit, juxta tenorem, qui sequitur nempe.

Tenor constitutionum, sive ordinationum.

§. 3. = Frater Paulus a Colindres minister generalis, licet immerito, ordinis minorum sancti patris nostri Francisci Cappuccinorum etc. reverendis patribus provinciali, et definitoribus præsentibus, ac futuris hujus nostræ provinciæ Sanguinis Christi Valentiæ, salutem, et pacem in Domino.

Quum aliqui religiosi perfectioris observantiæ regulæ seraphicæ, constitutionum, ordinationumque generalium zelo perciti, fervida, quibus ardent, desideria nobis exposuissent; nec non et alii, quantum a debito statu in hac alma provincia defecisset missionis exercitium, adeo seraphicæ regulæ conforme, animarumque utilitati necessarium, uti experimento didicerunt ipsius provinciæ alumni, qui missionibus egregiam operam navarunt, mirandis peccatorum conversionibus, et magno provinciæ splendore, ac laude; nostro muneri necessarium duximus eorum votis annuere, ipsis justam consolationem adferre, tantoque operi, quantum in nobis fuerit, opitulari, cui nostrum conventum villæ de Monnovar opportunum putavimus, fratresque, qui pro nunc ibi commorari debent, assignavimus, ita tamen ut ex illis nullus (clericis exceptis) possit ab illo extrahi, et alterius familiæ adsignari, nisi ipse scripto petierit; neque alius ad illum mittatur ad ibi degendum, nisi scripto etiam petierint pater guardianus ipsius conventus, et quatuor illius familiæ religiosi antiquiores, quos pro nunc, et in posterum successive adsociatos, et tamquam adsistentes, et conjudices patri guardiano nominamus pro cujuscumque casus, si forte occurrat, decisione, speciali animadversione indigentis: confidimus interim admodum reverendum patrem provincialem minime cunctaturum, ad degendum in præfato conventu quem pater guardianus, et adsociati petierint et si obstiterit, moniti, quod expedire noverimus providebimus, et quandocumque guardianatum, aut vicariatum vacare quocumque modo contigerit, nullus ad talia officia a reverendo definitorio eligatur, nisi per integrum annum ad minus in illa familia moratus fuerit, moreturque actualiter; quod si ad hoc aliqua emerserit difficultas, electio suspendatur donec moniti, quod magis expedire noverimus, decernamus. Utque hoc ordinate fiat, et uterque finis, perfectioris videlicet observantiæ, et missionis exercitium consequatur, quin unum alteri præjudicium inferat, omniaque fiant majori ædificatione, bonoque exemplo, necesse putamus, quæ sequuntur, præfato conventui ordinare.

Præcipitur observantia regulæ, et constitutionis ordinis.

§. 4. Primo. Vigere debet in dicto conventu perfectior regulæ observantia, constitutionumque ordinis, et aliarum ordinationum generalium, quas Romæ dedimus anno MDCCLXI., et aliarum insuper, quas huic provinciæ, peracta visitatione, ordinamus, quibus conformiter nullo casu completorium, et oratio mentalis vespertina poterunt dispensari, nec matutinum media nocte, nec oratio matutina (de la pele dicta vulgo) cum reliquis divinum cultum, et chori observantiam spectantibus.

De servanda paupertate præceptum renovatur cum suis declarationibus.

§. 5. II. Debent etiam absque dispensatione observari omnia, quæ in illa continentur, et exponuntur de sancta paupertate, et consequenter nulli religioso licebit denarios, aut quidquam aliud recipere ratione missarum, prædicationis, aut alterius cujuscumque laboris, et si gratuito detur, offeraturve proprio usui, aut dispositioni, neque panem, ceramque, aut quidpiam aliud nisi in propria specie emendicabunt, neque pro rebus hujusmodi aliqua pecunia recipietur, etiamsi pro ipsis data, aut oblata; nec oblatus aliquis, vel sæcularis poterit mitti, aut deferri, illam recipiendi gratia, uti in aliquibus conventibus fieri vidimus; prædicta enim si in propria specie sancta æmulatione petamus, neque ad illa pecuniam recipiamus, nostra munera obeuntes, ac divina providentia fræti, fieri non potest, ut cœlestis pater promissis beato patri nostro Francisco desit, infallibilique verbo: *Jacta curam tuam in Domino, et ipse te enutriet: quærite primum regnum Dei: et hæc omnia adjicientur vobis.*

Statuitur quod deficientibus ad vitam necessariis, eleemosyna pro missis accipiatur, et ultimo loco ad benefactores recursus habeatur.

§. 6. III. Quod si quæ in propria specie fratribus tribuuntur, eorum vere necessariis indigentiis non sufficerent: recurri poterit ad eleemosynam duodecim missarum, quas, ut mos est in hac provincia, singuli sacerdotes celebrant quolibet mense communitati, hac adjecta conditione, ut hæc per syndicum, ejusque interventione ministretur, quin unquam permittatur causa, aut prætextu aliquo præfatam missarum eleemosynam, aut aliam quamcumque pecuniariam, in nostri conventus sacrario, vel janua, aliave quacumque clausuræ parte, recipi omnino; nec oblatum, aut alium quemcumque illam in cella, aut in alio loco depositam servare. Si

tamen prædictarum missarum eleemosyna non sufficeret, quod raro, aut nunquam eveniet, pro necessitatibus ingruentibus, ad benefactores, amici spirituales a regula appellati, recursus fieri poterit, necessitatem ipsis exponentibus, ut ei vel per se, vel per substitutum subveniant; atque tunc pure, et perfecte servatur regula, ad praxim deductis modis, et cauthelis a Nicolao III., et Clemente V. pro tali casu præscriptis.

Communio vitæ in omnibus præcipitur paucis exceptis, nominatim indigitatis.

§. 7. IV. Seraphicæ regulæ est valde consonum, ab apostolis, fidelibusque primitivæ Ecclesiæ religiose servatum, omnia esse communia, nihilque usui alicujus particulari, exceptis habitu, chorda, fœmoralibus, et sandaliis, paucisque libris; pater itaque guardianus debet omnibus non tantum victum convenientem, sed etiam fœmoralia, emunctoria, sandalia, et omnia necessaria providere; calamos etiam, atramentum, chartamque prout unusquisque indigeat. Si vero pater guardianus in his negligens fuerit, patres adsociati, ad quos recurri debet, providere tenentur, quod si nec hi convenienter provideri curaverint, quod creditu difficile putamus, ad reverendum patrem provincialem recurratur, vel scripto nos moneamur, ut provideri mandemus.

Quod licita tantum et honesta, excepta pecunia, recipiantur, sed cuncta patri guardiano tradantur, qui omnium necessitatibus consulere debet.

§. 8. V. Quemadmodum rationi est consentaneum, cupimusque, ut cuique omnia necessaria provideantur, volumus etiam, et ordinamus, ut nullus quidquam recipiat etiamsi in sua specie licitum sit, et honestum: uno verbo, nequidem pirum, aut pomum, quin statim patri guardiano tradat, familiæ consignandum, aut inter ejusdem fratres distribuendum. Animadvertentes proinde aliqua aliis esse necessaria, exempli gratia, tabaccum iis, qui illud nare, valetudini prospiciendi causa, exsorbunt, vel eo assuefacti sunt; non vero aliis, in quibus hujusmodi circumstantiæ non concurrunt; si quis vero illud dono datum habuerit, familiæ etiam tradat, ac de illo pater guardianus indigentibus providebit: casu autem quo liberaliter, ac gratuito concessum non habeatur, et aliqui necessitate sint compulsi, et insuper facultatem eo utendi a reverendo patre provinciali obtinuerint, pater guardianus, de patrum adsociatorum consensu missarum eleemosyna uti valeat, vel recursum modo supra exposito facere ad præfatam necessitatem subveniendam: quod idem de quacumque alia respective intelligendum est. Permittentes, ut fratres culinam, aut refectorium mane adeant lævi sese jentaculo nostræ paupertati congruente, refecturi, ut chori, ac studii labori insistere valeant.

De conferentiis habendis super solutione casuum moralium, et pro confessione sacramentali necessariis.

§. 9. VI. Cum duplex sit finis, cui cœnobium præfatum destinatur, alter nimirum exactioris observantiæ, de qua hactenus egimus; alter vero missionum: consequens est, ut ad tractandum de isto progrediamur; cujus rei causa ordinamus, ut singulis hebdomadis a festo omnium sanctorum usque ad pascha resurrectionis, bis in hebdomada, scilicet lunæ, et veneris die; et a dominica in albis usque ad festum omnium sanctorum ter similiter in hebdomada, lunæ scilicet, mercurii, et veneris die habeantur post vesperas per integram horam collationes ad confessariorum, missionariorumqe instructionem spectantes, de punctis moralibus, et casibus frequenter occurrentibus, uti nimirum sunt matrimonii impedimenta tum publica, tum occulta ante, vel post matrimonium contractum, confessiones sacrilegæ, invalidæ, aut dubiæ, usuræ, contractus, simoniæ, et hujusmodi, vel de scriptura sacra, theologiave mistica, aut historia ecclesiastica; ex his, modo alia, et modo alia conferendo argumenta, utilitati, minime vero curiositati congruentia. Ut vero his præsideat probatus ab omnibus, secretis sacerdotum suffragiis adligetur, quo absente, alius substituetur usque ad illius regressum, cujus quidem erit argumentum, et casus ab alia in aliam conferentiam proponere, atque aliorum omnium responsis auditis, propriam tandem solutionem adhibere.

Inviolabilis observantia silentii cum suis opportunis declarationibus præcipitur.

§. 10. VII. Ne vero aliquis eorum, qui otio aliqualiter delectantur, tempori studio, omnibus necessario, dicando, impedimentum adferat, ordinamus, ut silentium a nostris constitutionibus præscriptum inviolabiliter servetur; solumque poterit alter cum altero loqui post prandium ad usque signum silentii, quod fiet hora duodecima cum dimidia; atque æstivo tempore post cœnam, vel collatiunculam usque ad signum salutationum angelicarum: sicuti etiam ordinamus, ut nullus, patre guardiano, et vicario exceptis, alterius cellam ingredi audeat, etiamsi aliquo opus haberet, poterit, aperta janua, quin intret, petere, vel quod necessarium fuerit alloqui; si vero longiori tempore consultationis, vel conferentiæ causa indigeret, facultatem a patre guardiano obtinebunt, qui ad hoc chorum, vel sacrarium, aut alium locum publicum illis designabit.

Quod sine necessitate, vel licentia superioris in viam exeat sancitur.

§. 11. VIII. Plurimum quoque refert sæculi hominum, et visitationum abstractio; itaque ordinamus, ut nullus in viam exeat, nisi vocatus, et de mandato superioris ad infirmi confessionem excipiendam, aut morienti subveniendum; exceptis tantummodo eleemosynariis, et prælato, qui aliquando compellitur necessitate devotos, ac benefactores invisendi; vel alio, qui ejus nomine, deque ejusdem mandato ad rem communitatis tractandam mittatur; sicuti etiam ordinamus ut nullo sæculari ingressus in interiores officinas permittatur, neque ad dormitorium ascensus; etenim si frater aliquis inquisitus fuerit, descendet, et in januæ ædicula, vel choro inquirentem excipiet, audiet, et quamprimum possit, remittet.

Conceditur honestum oblectamentum sumendum in campis, et locis solitariis.

§. 12. IX. Aequum equidem, et conveniens est religiosis honestum aliquod oblectamentum concedi; hoc tamen volumus absque completorii, et orationis mentalis hora solita præjudicio; concedimus itaque, ut altera communitatis pars singulis hebdomadis valeat semel in vespere in campum extra conventum, vel solitaria loca recreationis causa exire, altera parte in choro divinis officiis adsistente, et si absque cantu, si pauci remanentes psallendo impares fuerint; et altero ejusdem hebdomadæ die poterit egredi altera pars, altera vicissim, modo supradicto, chori obligationi intenta.

De initio, et fine missionum agitur.

§. 13. X. Missiones incipient a festo omnium sanctorum; utque se se preparare valeant missionarii, die trigesima junii, sancti Pauli, (qui uti hujus seminarii protector, ac patronus agnosci debet, ac venerari) commemorationi sacra, quatuor ex sacerdotibus suffragiis secretis eligentur, qui bini ad missiones peragendas pergant per illa loca, et districtos, quibus expedire judicaverint; ante omnia licentiam, et protectionem, aut commendationem a diœcesis Ordinario inquirentes; alii vero maneant observantiæ, et conventus curæ addicti; et ex quatuor supradictis, saltem duo sint in missionibus versati, ut proprio usu ac praxi alios instruant; licebitque omnibus quatuor per integrum præcedentem mensem missam celebrare interim prima a choro cantatur, eruntque dispensati ab horis minoribus, et per octo dies a matutino etiam, et postquam redierint, per alios octo similiter.

Præfinitur tempus regressus missionariorum ad conventum ut prædicationi incumbant.

§. 14. XI. Debent omnino aliquot dies ante quadragesimam ad conventum regredi, ut, vel in illo maneant, vel ad concionandum, si forte a reverendo patre provinciali alicui provinciæ pulpito, vel a patre guardiano alicui guardianatui destinati fuerint, exeant. Deinde pro anno sequenti, die supramemorato, qui tempore sequentis adventus missioni operam navent: electio tamen ita fiet, ut duo ad minus, illorum non sint ex anno præcedenti electis, ut ita onus omnibus sit commune, magisque charitas foveatur, partialitatis affectibus omnino exclusis.

Et quo tempore redire debeant pariter statuitur.

§. 15. XII. Qui tempore quadragesimæ prædicaverint, statim ac illam absolvant, ad conventum redeant, quin aliqua de causa, nequidem missionis faciendæ, valeant amplius immorari; convenit etenim, ut ad clausuram revertantur, observantiamque prosequantur regularem, ad renovandum, reficiendumque spiritum, qui extra claustra a debito fervore declinat; quemadmodum et seraphicus P. N. Franciscus optat, nostræque sanctæ constitutiones inculcant.

De modo servando in concionibus, cathechismis, et panegiricis orationibus.

§. 16. XIII. Panegiricæ conciones ne prædicentur, nisi pro ordinis festivitatibus in nostro conventu, et aliqua necessaria in paræcia; extra vero perraro. Et quando hujusmodi sermones contigerit prædicari, curent ne sint vacui doctrina morali, minime auram popolarem captantes ineptis ideis, ac nimia discursuum subtilitate, quæ quidem sacræ scripturæ sensum genuinum adulterant, ac ministerium apostolicum profanant. Licebit tamen patri guardiano aliquos mittere, qui diebus dominicis æstatis tempore cathechismum ad populum habeant, aut exhortationem moralem in guardianatus paræciis, quas doctrina magis indigere cognoverint: quod ipsius arbitrio relinquimus. Cæterum hoc advertentes, ut stipendium aliquod, victu tantummodo excepto, ratione hujusmodi concionum nullatenus accipiatur, ut omnibus ita innotescat, nobis nullum aliud cordi esse, præter animarum lucrum: hujusmodi vero concionatores ipsius diei vespere in conventu redeant, si locus duabus tantum leucis dissitus sit: si tamen longius distaret, sequentis diei matutino.

Quo tempore explicatio doctrinæ christianæ præstari debeat declaratur.

§. 17. XIV. Etiam diebus dominicis in vespere poterit, si patres guardianus, et adsociati expedire putaverint, aliquod doctrinæ christianæ punctum in nostra ecclesia explicari, ab hora tertia post meridiem tempore hyemali, et a quarta æstivo tempore; nec ultra dimidiam horam progrediatur, ut ante horam quintam, finito completorio,

ac orationi suo tempore impedimento non sit; sicuti etiam disponi debet, ut tertii ordinis exercitia peragantur, ut nullum inferant regulari observantiæ impedimentum, completorio scilicet, ac orationi, quibus hora solita inviolabiliter incumbere adstringimur.

De confessariis, eorumque munere distribuendo, ut semper habeatur unus, qui hebdomadarius vocetur.

§. 18. XV. Debet utique esse omni tempore confessor quidem hebdomadarius, incipiens a patre guardiano ad usque ultimum successive confessorum, qui quidem paratus sit ad confessiones in nostram ecclesiam confluentium excipiendas; et a patre sacrista vocabitur, quoties aliquis confessorem indeterminatum quærens, advenerit; utque per integrum mane ab omni cura expeditus inveniatur, missam celebrabit, dum prima cantatur; nec alius quispiam a choro immunis censendus, nisi confluentium pœnitentium concursus adeo excreverit, ut eorum confessionibus audiendis hebdomadarius non sufficeret; in tali enim casu alium, vel alios, quot necessarii fuerint, prælatus destinabit.

De distributione celebrationis missarum.

§. 19. XVI. Quum ex numero sacerdotum adeo exiguo choro, et literis incumbentium, missarum series ita disponi non possit, ut integro matutino sufficiant, hoc contenti erimus si nimirum diebus ferialibus duæ reserventur altera post conventualem celebranda, alia hora nona æstivo tempore, hyemali vero hora decima; quam omnes per dies, vel per hebdomadas alternare debent, nequidem patre guardiano excepto, ut omnibus onus sit æquale, et ut omnes laborem, meritumque æqualiter participent, nulla facta discretione prælatorum, nec magis, minusve antiquorum.

De translatione religiosorum ab uno ad alterum conventum.

§. 20. XVII. Si quis religiosus huic conventui adnumeratus, adnumerandusve inibi non fuerit libens, patri guardiano significabit, qui de patrum adsociatorum consensu, tribus ad minus ex quatuor in idem consentientibus, ipsi obedientiam dabit ad proximiorem conventum, ubi permanebit quousque certioratus reverendus pater provincialis, cui expedierit ipsum destinet; neque enim convenit, nec volumus aliquem in illo invitum degere. Sicuti etiam ordinamus, ut, si pater guardianus rescierit aliquem in illa familia permanere non convenire, quia vel illam perturbat, vel has ordinationes non servat, vel obedientiæ, ac debitæ humilitatis spiritu caret, congregans patres adsociatos, tribusque illorum ad minus eamdem sententiam ferentibus, ad proximiorem conventum illico dimittant, eodem modo, ut supra.

Quod nec hospites religiosi exempti sint ab observantia constitutionum, et communitati in omnibus conformare teneantur.

§. 21. XVIII. Si quis religiosus hospes ad hunc conventum accesserit, sola charitatis officia uno die cum illo non prætermittantur, atque a choro dispensetur; verum elapso primo die communitati se se in omnibus conformare tenebitur, has constitutiones observans. Quod si quis de licentia reverendi patris provincialis per aliquot dies commoraturus advenerit causa propinquos invisendi, vel rem aliam particularem tractandi non liceat ultra dies octo ibi permanere; et dispensatus primo die, reliquis tenebitur in choro divinis officiis omnino interesse: exiensque de licentia patris guardiani vel ad visitationes, vel ad res alias peragendas, non licebit absque ipsius venia foras pransurus manere, neque esse extra conventum hora salutationis angelicæ nocturnæ.

Nullum ædificium fieri sine licentia prohibetur, reprobaturque opus quodcumque paupertati contrarium.

§. 22. XIX. Nullum ædificium fiat absque patris guardiani, et adsociatorum consilio, licentiaque reverendi patris provincialis, aut reverendi definitorii respective, prout in ordinationibus, quas huic provinciæ fecimus, præscriptum manet: imo etiam immodicum hujus ecclesiæ altarium numerum limitare curent, et in reliquis, quod possibile sit emendare, quodquidem adversus sanctam paupertatem clamat, et summo cordis dolore tacti vidimus; solumque reportamus solatium ex hujus seminarii institutione; etenim perfectiori seraphicæ regulæ observantia, quæ ex nunc in posterum vigebit, zeloque missionis animabus pretioso sanguine redemptoris Nostri Jesu Christi redemptis, adeo proficuæ sperabamus ob ejus misericordiam, ipsum fore immemorem transgressionis, qua ædificium fædatum est, suamque benedictionem novæ, ac futuræ familiæ impertiturum, quæ tanto spiritus fervore proprias animas in holocaustum ad majorem Dei gloriam proximorum saluti ultro offert.

Jus corrigendi vel explicandi constitutiones ipsi generali ministro reservatur.

§. 23. XX. Præmonemus tandem, ut si in his, quæ ordinata manent, aliqua se se emerserit difficultas, aut dubium, moneamur, ut convenientem demus explicationem; si vero in posterum prout circumstantiæ poposcerint, aliquid aliud mutari, aut addi expedire judicaverint, pater guardianus, et adsociati ad nos scribant, proponentes, quæ ipsis convenire videantur, spectantes responsum, quin ipsius liceat alterare, vel addere his, quæ disposita manent in his ordinationibus.

Fraterna charitas commendatur.

§. 24. XXI. Super omnia vero prædilectis religiosis nostris mutuam cha-

ritatem commendamus illis dilecti evangelistæ verbis: *Fratres diligite alterutrum*: se se amando, invicem adsistendo, subveniendo, ac sufferendo quemadmodum apostolus noster protector admonet: *Invicem sufferentes* . . . . *Alter alterius onera portate*; ita enim non modo tollerabile, verum etiam suave, ac dulce evadit onus religionis, jugumque Jesu Christi. Maxime tamen infirmorum curam commendamus, ne quidquam prætermittatur, quod ipsis levamen adferre possit, etiamsi recursum ad pecuniam fieri necesse sit; pro tali enim casu id permittit, imo et regula præcipit, et in ipsa præscribit, præmonetque sanctus pater unumquemque fratri suo spirituali servire debere, sicut vellet sibi serviri: et omnes religiosi eos visitent, consolentur, sanctisque consiliis, et verbis animent. Nec volumus intelligi de cellis infirmorum prohibitionem factam, qua prohibentur alii aliorum cellas ingredi, et præsertim patres guardianus, et vicarius frequenter eos visitent, fratremque deputent, qui eorum curæ præpositus sit, quique omnia necessaria eis provideat, quemadmodum nostræ constitutiones præcipiunt. Confidentesque, Dominum, qui hoc opus sua inspiratione incepit, ipsum perfecturumque, intimo amore paterno, et uti successor, licet indignus, seraphici patris, ejus sanctam benedictionem omnibus impertimur; ac simul eos commendamus omnium orationibus, et suffragiis, quibus indigemus ad nostra munera debite exequenda. Et pro visitationis conclusione reverendæ definitionis assensu, ita ordinamus, et mandamus, subscripsimus, atque nostri officii sigillo muniri fecimus. In hoc conventu Valentiæ die 7 maii 1764.

Fr. Paulus minister generalis.
Fr. Leander Alonensis minister provincialis.
Fr. Joachim Olleriensis diffinitor.
Fr. Thomas Murciensis diffinitor.
Fr. Isidorus Caudetensis diffinitor.
Fr. Joseph de Caligh diffinitor.
Loco ✠ Sigilli

Dubia nonnulla insurrecta opportunis responsionibus profligantur.

§. 25. Verum quia super his, quæ a dicto Paulo ministro generali, aliisque superioribus memoratæ provinciæ, ut præmittitur, disposita fuerant, nonnulla dubia postmodum insurrexerunt, hinc illis propositis ipsi Paulo eo tempore in civitate Cæsaraugustana commoranti, his suis epistolis die 3. augusti anni MDCCLXIV. tunc existenti guardiano conventus de Monnovar conscriptis, cuique ex propositis sibi dubiis dedit responsum. Tenor itaque hujusmodi literarum, et responsionum, est qui sequitur videlicet.

R. P. guardiane: Consultus a reverendo patre provinciali de aliquibus dubiis, ea, quæ ei conventui ordinata reliquimus spectantibus, ad eorum calcem responsum illi exhibeo; illorumque exemplar, et hanc ad te mitto, ut et edoctus sis, et tuam familiam certiorem reddas, atque ordinationibus adjunctum servetur, ad eorum, quæ correspondent, praxique observari debent, cognitionem; cupiensque omnes hujus seraphicæ familiæ alumnos optime valere, et in charitate perfecta vivere; sanctam ipsis benedictionem largiens, eorum orationibus me committo, ac tuus maneo, quem Deus ad plures annos incolumem servet. Cæsaraugustæ iii. augusti anni MDCCLXIV.

V. P. R. addictissimus servus
Fr. Paulus a Colindres.

Tenor dubiorum propositorum, et responsionum redditarum.

§. 26. Dubia nostro reverendissimo patri generali fr. Paulo de Colindres proposita super aliqua puncta ordinationum particularium a reverendissimo patri dispositarum conventui Cappuccinorum de Monnovar missionum seminario.

In prologo: ex illis, idest ex fratribus illius familiæ nullus, clericis exceptis, possit ab illo extrahi, et alterius familiæ adsignari, nisi ipse scripto petierit; neque alius ad illum mittatur ad inibi degendum nisi scripto etiam petierint pater guardianus ipsius conventus, et quatuor illius familiæ religiosi antiquiores.

Dubium I. Utrum oporteat, ut qui petit cum illius conventus fratribus annumerari, scribat etiam ad patrem provincialem, ipsum certiorando de petitione a se facta patri guardiano pro hujusmodi annumeratione, hanc erga patrem provincialem reverentialem urbanitatem exhibendo?

Num. X. Quatuor ex sacerdotibus secretis suffragiis eligentur, qui bini ad missiones peragendas pergant per illa loca, et districtos, quibus expedire judicaverint.

Dubium II. Erit ne rationi consentaneum, ut post factam missionariorum electionem pater guardianus, patrem provincialem de electis edoceat ad hujus instructionem pro eo, quod expedire, vel contigere possit?

Dubium III. Utrum designatis districtis, in quibus missiones haberi debent, teneatur similiter pater provincialis de hoc moneri, sciens quo in

loco sint sui subditi, et in qua diœcesi, ejusque veniam petere?

Num. XI. Debent omnino aliquot dies ante quadragesimam ad conventum regredi, ut vel in illo maneant, vel ad concionandum si forte a reverendo patre provinciali alicui provinciæ pulpito, vel a patre guardiano alicui guardianatui destinati fuerint, exeant.

Dubium IV. Cum in hac provincia mos invaluerit, ut nullus guardianus quemquam, etiamsi ex suis conventualibus, et sui guardianatus quadragesimis prædicatorem adsignet, patre provinciali inconsulto; nam potest evenire, ut talis prædicator jam aliquo provinciæ pulpito a patre provinciali donatus sit: Utrum pater guardianus Monnovarensis debeat, antequam prædicatorem quadragesimæ sui guardianatus deputet, patrem provincialem monere, ut hujusmodi vitentur difficultates, neque impedimentum ullum inde oboriatur: in hac enim provincia est, ac semper fuit patris provincialis quadragesimæ prædicatores destinare.

Num. XVII. Ordinamus, ut si pater guardianus (de Monnovar) rescierit aliquem in illa familia permanere non convenire, quia vel illam perturbat, vel has ordinationes non servat, vel obedientiæ, ac debitæ humilitatis spiritu caret, congregans patres adsociatos, tribusque illorum ad minus, eamdem sententiam ferentibus, ad proximiorem conventum illico eum dimittant, eodem modo, ut supra, ubi permanebit donec certioratus reveredus pater provincialis, cui expedierit illum destinet.

Dubium V. An postquam dimissus, vel antequam remittatur ad proximiorem conventum, aliquis religiosus, qui trium saltem adsociatorum judicio non convenit in seminario morari; teneantur cum pater guardianus, tum adsociati patri provinciali rationem, ob quam non convenit, exponere; posset enim accidere, ut sine causa sufficienti injustitia illi inferatur, aut rubore suffundatur, ut alius carior, vel eorum partium magis studiosus, ejus in loco aggregetur familiæ; et videtur rationabile aliquem de hoc judicem esse: et hoc insuper est, esse absolutum; admittendo, et expellendo absque superioris dependentia.

Dubium VI. Utrum exploratum habens pater provincialis, et quidem mediis errori non obnoxiis, aliquem illius familiæ de Monnovar religiosum, vel aliquem adsociatorum ibi non convenire nec religioni, nec propriæ animæ saluti; possit pater provincialis alium ex aliis conventibus providere; est enim ejus ovis, de qua rationem redditurus est.

Responsum

Ad I. dubium respondetur: esse urbanitatem religiosam ad reverendum patrem provincialem scribere illum, qui in conventu de Monnovar degere optaret; cæterum quoniam aliqui, forte proprio amore, vel ne ab aliis, si sciatur, insultentur, scribere non audebunt, acquiescere debet pater provincialis reverenti petitioni a reverendis patribus guardiano, et commissariis ipsi faciendæ, quique adserent studium, petitionemque dicti religiosi.

Ad II. dubium: conveniens, et justum est, reverendum patrem guardianum cum commissariis, reverendum patrem provincialem instruere de missionariis electis, ac de locis, in quibus missionem peragere cogitant; atque etiam, ut reverendo patri provinciali curent non displicere, si in aliquo alio loco missionem fieri, expedire putaverit.

Ad III. dubium responsum est in antecedenti.

Ad IV. dubium quoad consuetudinem, quæ dicitur, esse peculiaris, ac propria reverendo patri provinciali in hac provincia, reverendus pater guardianus ad illum scribat post epiphaniam, quærens ab eo, num aliquos ex suis conventualibus deputaverit quadragesimis, et de illis debebit voluntatem reverendi patris provincialis adimplere, ac deputationem. Si vero aliqui a reverendo patre provinciali non destinati, superfuerint; poterit reverendus pater guardianus intra sui guardianatus limites destinare, dummodo in conventu regulari observantiæ sufficientes remaneant.

Ad V. dubium. Nec conveniens est, nec rationi consentaneum, reverendum patrem guardianum, et consiliarios rationem exponere, ob quam ille religiosus non convenit; aliter vero dicendum, si causa esset alicujus sceleris gravis, ac publici, quod ad punitionem debeat denuntiari. Nec credendum, illos patres injuriam alicui inferre, illum a conventu absque justa causa expellentes, ut alium trahant.

Ad VI. dubium, et ultimum: reverendus pater provincialis sciscitabitur a reverendo patre guardiano, et consiliariis de causis, quibus ducitur, ut credat, aliquem ex ibi degentibus, non

convenire. Et si responsione sibi non satisfieri judicaverit, ad ministrum generalem scribat; qui facta inquisitione, quod expedierit, providebit. Cæsaraugustæ anni 1764.

Fr. Paulus minister generalis.

Preces porrectæ pro confirmatione apostolica obtinenda.

§. 27. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Karolus rex disposita, et a dicto Paulo ministro generali, ut præfertur, ordinata, addita, et declarata quo firmius subsistant, et non solum in proprium eorumdem fratrum, sed etiam aliorum christifidelium bonum, et utilitatem exactius, et perpetuo serventur, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret.

Confirmantur constitutiones nonnullis sub reservationibus, et cauthelis.

§. 28. Nos piis, ac laudabilibus, et catholico rege dignis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus libenter annuere volentes, eorumdemque fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis ipsius Karoli regis nomine humiliter porrectis inclinati, præinserta omnia, et singula disposita, et ordinata a dicto Paulo ministro generali una cum additionibus, et declarationibus prædictis, et in eis contenta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam substantiales defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Præceptum de observando constitutiones ad omnes personas fratres, et superiores extenditur.

§. 29. Mandantes propterea omnibus, et singulis conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi superioribus, fratribus, et personis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut omnia, et singula in præinsertis dispositionibus, ordinationibus, declarationibus, et additionibus contenta, ac expressa adamussim omnino observent, et exequantur, et, ut ab aliis observentur, diligenter curent, et faciant; nec quidquam in eis a quocumque cujusvis dignitatis, et auctoritatis existat, mutari, alterari, aut revocari quovis modo posse, inconsulta Sede apostolica, prohibemus omnino, ac interdicimus; itaut si dubium aliquod in posterum super earum interpretatione, et executione ullo unquam tempore oriri contingat, pro dubio etiam hujusmodi declarando, ac definiendo, et tollendo ad Sedem prædictam semper omnino recurrendum esse volumus, præcipimus, et jubemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublate, et decretum irritans.

§. 30. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, Sedisque prædictæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 31. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 6. Septemb. 1770 Anno II.

## LXXXIX.

Nonnullæ ordinationes editæ a ministro generali ordinis Cappuccinorum pro collegio Turritano in seminarium missionum ab ipso designato confirmantur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Creditam Nobis militantis Ecclesiæ providentiam, coadjuvante Domino, utiliter exequi satagentes, ac etiam animo contemplantes uberrimos fructus, quos viri in sortem Domini vocati prædicatione verbi Dei sacris missionibus operam dando in dies producunt, ea, quæ pro eorum directione ac gubernio provide, prudenterque facta fuisse noscuntur, ut perpetuo firma, atque illibata persistant, libenter cum a Nobis petitur, et reges ortodoxi magnis in Ecclesia Dei meritis fulgentes id exposcunt, apostolico præsidio communimus, prout locorum, temporum, et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Rex catholicus Pontificem adiit, ut quæ a ministro generali decreta fuerant confirmet.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum Nobis fuit, quod cum nonnulli fratres ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum provinciæ Castellæ perfectioris vitæ, ac salutis animarum zelo flagrantes, non solum ejusdem ordinis constitutiones tam generales, quam peculiariter editas pro eadem provincia adamussim exequi, sed etiam sacras missiones peragere desiderarent, hac de re ipsi designationem alicujus conventus dictæ provinciæ, in quo cum regularis observantia, tum quoque studium ad apostolicum munus hujusmodi rite, sancteque obeundum maxime necessarium vigerent a quondam Paulo a Colindres tunc temporis ministro generali dicti ordinis petierunt. Idem vero Paulus pio huic desiderio annuere, eorumque vota fovere volens per suas literas ad illius definitorium provinciale conscriptas conventum Turritanum ad hujusmodi effectum designavit, atque insuper nonnullas peculiares ordinationes utrumque finem respicientes pro conventu prædicto edidit, quarum tenor est, qui sequitur videlicet.

Tenor ordinationum confirmandarum.

§. 3. Frater Paulus a Colindres minister generalis, licet indignus, totius ordinis minorum sancti patris Nostri Francisci Cappuccinorum venerandis admodum, dilectisque in Christo patribus, et fratribus nostri Turritani conventus in alma nostra utriusque Castellæ provincia salutem in Domino Nostro Jesu Christo.

Laudantur religiosi provinciæ Castellæ.

§. 4. Cum nonnulli ex religiosis nostræ almæ utriusque Castellæ provinciæ zelo flagrantes Nobis proposuissent, quod ad majorem Dei gloriam, animarum utilitatem, ejusdem provinciæ honorem, solatiumque plurimorum religiosorum, qui magno spiritus fervore desiderant non solum observare majori, qua possit puritate nostram seraphicam regulam, ordinis constitutiones, statuta generalia, et a Nobis specialiter edita ad promovendam in eadem provincia perfectiorem observantiam; sed etiam missionandi munus exercere, valde interesset aliquod cœnobium designare in quo simul cum illa observantia vigeret studium ad tam apostolicum opus peragendum maxime necessarium. Operæ prætium existimavimus, et quidem muneri nostro intrinsecum tam justis, piisque votis non tantum annuere, verum etiam fovere, et, ut in lucem prodeant, totis viribus elaborare; quapropter cum jam per literas nostras ad definitorium provinciale designaverimus nostrum Turritanum conventum cum guardiano, et fratribus pro nunc a nobis electis, et ex consequenti prædictus conventus debeat habere aliquas particulares ordinationes utrumque finem respicientes, ita ut alter impedimento alteri non sit, sequentes formamus.

De reducendis ad praxim regulis, et constitutionibus ordinis.

§. 5. = I. In primis debet in supradicto conventu reduci ad praxim purior seraphicæ præmissæ regulæ, et ordinis constitutionum observantia, consequenterque generalium ordinationum, quas Romæ dedimus in initio Nostri officii, et earum pariter, quas amor erga nostram utriusque Castellæ provinciam dictavit; et juxta in his omnibus contenta, ita obligationi completorii, orationis mentalis, et matutini suis statutis temporibus satisfieri debet, ut nullatenus alterare liceat, uti nec cætera, quæ ad perfectam observantiam chori, cultusque divini spectant.

De paupertate colenda.

§. 6. = II. Observanda pariter sunt respective, et indispensabiliter omnia, et singula, quæ circa sanctam paupertatem in prædictis ordinationibus tractantur, et exponuntur; ac per consequens nulli ex fratribus liceat accipere denarium, vel pecuniam ratione missarum, vel prædicationis, nec quidquam aliud etsi gratis fuerit donatum, vel oblatum

suo privato usui, et suo arbitrio disponat. Et in mendicatione rerum necessariarum uti panis, oleum, cera, et alia hujusmodi; nonnisi in sua specie quærantur, quin denarium, vel pecunia ullo prætextu admittatur; nam si cum zelo sancto fiat talis mendicatio fidens in divina providentia, et in adimpletione nostrorum munerum fideles fuerimus, absdubio fidelis etiam erit ipse Deus, qui dixit: *Jacta curam tuam in Domino, et ipse te enutriet: quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

De recursu habendo ad personas devotas, et amicas.

§. 7. = III. Fortassis vero si rerum in sua specie mendicatio, subveniendis necessitatibus, non suffecerit, poterunt tunc fratres ad personas devotas, quas amicos spirituales nostra regula vocat, accedere, eisque repræsentare necessitatem, aut necessitates, quas patiuntur, ut illis subveniant; eo enim in casu licitus erit talis recursus, modo observentur modi, et cauthelæ a Nicolao III., et Clemente V. propositæ, quibus cum regula in sua puritate manet illæsa. At vero quando nec hoc sufficiens erit, licebit accipere determinatum numerum missarum, cujus stipendium sufficiat ad subveniendum tali necessitati, vel necessitatibus.

De modo servando in recursibus hujusmodi.

§. 8. = IV. Ut autem in hoc nullus interveniat excessus, nullaque anxitudo, sive animi angor occupet superiorem vel propter excessum, vel propter defectum in necessariis, volumus, ut coram quatuor patribus familiæ antiquioribus (quos in hunc finem, et alios, qui occurrere possint, in commissarios, seu conjudices assignamus) exponatur fideliter præsens necessitas, et suffragiorum pluralitate, omnibus bene perspectis, non solum veritas necessitatis, ut cum puritate regulæ recursus ad amicos spirituales fieri possit, judicetur; verum etiam casu, quo ad acceptionem missarum pervenire contingat, determinetur earum numerus, quarum stipendium necessarium, et sufficiens sit pro tali necessitate subvenienda; et in celebratione missarum omnes, etiam superior, æqualiter, et nullo excepto, concurrere debent, ita ut si aliquis, vel aliqui abfuerint quacumque ex causa, etiam missionandi, moneantur quamprimum fieri possit, ut satisfaciant celebrationi earum, quæ ad ipsos pertineant.

De communione non fraudanda.

§. 9. = V. Est expressa voluntas nostra conformis nostræ seraphicæ regulæ, praxique apostolorum, et omnium primitivæ Ecclesiæ fidelium, ut omnia sint in communi, et nihil in particulari, seu ad usum privatum alicujus, præter habitum, chordam, fœmoralia, et sandalia, nullusque rem vel minimam, vel particulari usui retinere audeat; et ut hæc nostra determinatio suum possit effectum sortiri, omniaque præcludantur effugia, providere debet pater guardianus suis subditis, et quidem vigilantissime, nedum sufficiens alimentum, sed etiam fœmoralia, sudariola paupercula, sed honesta, sandalia, et alia hujusmodi, secundum uniuscujusque necessitatem. Sin vero guardianus in hac parte fuerit omissus, moneantur commissarii prædicti, et his non audientibus, quod non credimus, notam faciant hanc omissionem vel reverendo patri provinciali, vel nobis ut provideatur.

Quod nemo in proprium commodum quidquam convertat, nisi de licentia guardiani.

§. 10. = VI. Sicut decrevimus, et quidem juste, ut omnibus, et singulis fratribus, quæ fuerint necessaria præstentur, sic pariter volumus, et pari jure statuimus, ut nemo religiosorum accipiat aliquid, quamvis licitum, honestum, et in sua specie (uno verbo dicemus, nequidem pomum) quod non tradatur patri guardiano, ut æqualiter dividat inter omnes: et cum sciamus non omnibus aliqua esse necessaria, sed tantum aliquibus, verbi gratia tabaccum, decernimus, quod hoc pariter pro communi habeatur; unde si acciderit, quod alicui ex fratribus aliquod ex hac specie donatum fuerit, debet illud tradere superiori, ut inter vere indigentes distribuatur; si vero gratis non possit haberi, et aliqui fratres illo indiguerint, supposita facultate reverendi patris provincialis poterit pater guardianus cum consilio patrum commissariorum recurrere ad amicos spirituales, sive ad procuratorem; quo mediante, et modo in supradictis nostris ordinationibus assignato, his necessitatibus provideatur. Circa chocolatum volumus etiam, ut si aliquis illud largiatur sive communitati, sive alicui in particulari, pater guardianus illud distribuat inter illos tantum, qui decimum adimpleverint annum in religione.

Ordinationes circa exercitium missionum.

§. 11. = VII. Cum duplex sit finis, ad quem deligitur, seu designatur erectio formalis nostri conventus Turritani, pura videlicet observantia, et missionandi munus in animarum utilitatem; et in ordinationibus præcedentibus de his, quæ ad consecutionem primi spectant, egerimus; superest, ut etiam de his, quæ opportuna judicamus, ut secundus obtineatur, agamus.

In singulis enim, quibusque hebdomadis habeantur post vesperas per spatium unius horæ conferentiæ hoc ordine, et frequentia: ab adventu scilicet usque ad pascha resurrectionis Domini duabus diebus, quæ poterunt esse feria secunda, et sexta: a dominica vero in albis usque ad adventum tribus diebus, quæ poterunt esse feria secunda, quarta, et sexta; et cum instructio confessariorum, et eorum, qui in missionandi opere se se exercere desiderant, sit finis, in quem prædictæ conferentiæ principaliter diriguntur, perspicuum est, quod earum materia debeat esse moralis, et præcipue de illis casibus, qui frequentius occurrere solent, ut sunt impedimenta occulta ante, vel post contractum matrimonium, revalidatio matrimoniorum, confessiones sacrilegæ, invalidæ, vel dubiæ, usuræ, contractus etc. et etiam aliquibus diebus alternatim, poterit esse materia conferentiarum sacra scriptura, mystica theologia, et historia ecclesiastica, ita tamen, ut utilitati, non curiositati deserviant. Ut autem hæc desideratum habeant effectum, volumus, ut pluralitate suffragiorum sacerdotum familiæ (quæ secreto ferentur) eligatur unus, qui sit præses conferentiarum, et dum hic abfuerit, eligatur eodem modo alius, qui in ejus locum sufficiat, cujus muneris erit et assignare materiam, et casus discutiendos in conferentiis, ex auditis omnium sententiis, decernere quid agendum, vel sentiendum secundum sententiam probabiliorem, sicuti in præcitatis nostris ordinationibus statuimus.

Quod antequam missionarii mittantur ad prædicationem, habeant exercitationes coram communitate.

§. 12. VIII. Cum etiam plurimum intersit missionarios, ut pro dignitate suo muneri satisfaciant, priusquam ad populos sermonem habeant coram communitate exercitari in doctrinæ christianæ explicatione, nam quilibet in hac materia error sive per excessum, sive per defectum haud læve animabus præjudicium posset afferre; volumus, et statuimus, ut in uniuscujusque hebdomadæ feria v., aut sabbatho inter prandium, et coram omnibus religiosis per dimidiam horam explicetur doctrina christiana eadem forma, et modo, quo inter missionandum populis tradi solet; quam explicationem omnes suo ordine tradere teneantur, præter guardianum, qui pro suo libitu explicabit, aut secus. Volumus itidem, ut qui præses conferentiarum fuerit, idemmet sit, qui ab una hebdomada in aliam assignet materiam doctrinæ christianæ, et qui explicaturus est; ac demum, ut post explicationem unumquemque moneat cum amore, et charitate de defectibus, quos annotaverit ab ipso commissos, sive in ipsius doctrinæ substantia, sive in compositione, sive in modo dicendi.

De silentio servando.

§. 13. IX. Ut tempus studio omnibus tam necessario dicandum, a nemine impediatur, statuimus ut indispensabiliter observetur silentium in constitutionibus ordinis præscriptum, et dumtaxat post prandium, usque ad signum, quo indicitur silentium, et æstivo tempore post cœnam ad salutationis angelicæ pulsationem usque, licebit fratribus colloqui, nisi aliquid necessarium occurrerit; tunc enim stando, breviter, et submissa voce explicabitur. In eumdem finem decernimus, ut præter guardianum, et ejus vicarium nullus in alterius cellam ingredi audeat. Si enim alicui aliqua necessitas occurrat, e cellæ limite poterit eam manifestare. Si tamen aliquis ad conferendum, consiliumve petendum longiori tempore indigeat, petet licentiam a prælato, qui assignabit illis chorum, sacristiam, vel alium locum publicum ad colloquendum; et super hoc tam prælato, quam subditis onus imponimus, ut suæ conscientiæ consulant, cum ex ejus observantia dependeat nedum quod uterque finis plene obtineatur, verum etiam, quod nulla detur occasio suspicionis, partialitatis, aut æmulationis.

Quod nemo religiosus e cœnobio egrediatur nisi de licentia superiorum, vel gravi intercedente necessitate.

§. 14. X. Abstractio a personis sæcularibus, et earum salutationibus est etiam maxime utilis; ea propter statuimus, ut e cœnobio nullus religiosorum egrediatur, nisi vocatus, et destinatus ad alicujus infirmi confessionem excipiendam, vel ad auxiliandum constitutis in agone, aut periculo mortis; exceptos tamen volumus a præsenti constitutione religiosos mendicationem hostiatim exercentes, et prælatum, cum urgens causa fuerit benefactores, sive aliam quamcumque personam invisendi; sicuti etiam excipimus alium quempiam religiosum, qui prælati nomine hoc ipsum, vel aliquod communitatis negotium agere debeat, licet adhuc ab his, quantum fieri possit, abstinebunt; siquidem, et amici spirituales ædificationem accipiunt a religiosis solitudinem amantibus, et iteratos exitus e conventu subnotant etiam in ipsis prælatis; et ob id ingressus in conventus interiora, et ascensus ad dormitoria nullatenus concedatur sæcularibus, cum religiosus debeat descendere dum a janitore monitus fuerit, causa colloquen-

di cum sæculari, qui eum quærit, et vocat; et si fœmina vocaverit, caveat janitor ne moneat religiosum, quin prius renuntiaverit prælato, ab eoque veniam obtinuerit, quam concedet, vel negabit prælatus, prout tunc expedire videbitur.

De recreatione animi religiosis indulgenda.

§. 15. XI. Religiosos aliquam honestam recreationem habere æquum est, et spiritui, nedum saluti corporis congruens; quapropter concedimus, ut semel in hebdomada possit dimidiata communitas egredi vespere e cœnobio perambulandi gratia, remanentibus cæteris, ut definitis temporibus laudes divinas persolvant vel canendo, vel recitando horas, si pauci sint; et sequenti hebdomada poterit altera dimidiata communitas egredi, aliis pariter remanentibus ad frequentandum chorum, uti dictum est. Volumus enim talem recreationem assumi absque detrimento horarum, et orationis mentalis tempore statuto, et matutini hora duodecima nocturna, tam in hisce diebus, quam in aliis, in quibus intra claustra concedatur fratribus aliquod oblectamentum, vel noctu in calefactorium conveniant; et hoc oblectamentum nullatenus protrahetur ultra horam octavam, ut somnum sufficiens capere possint ante matutinum.

De tempore quo missiones incipiendæ sint.

§. 16. XII. Missionarii incipient suum apostolicum opus ab adventu (hoc enim tempus judicamus magis idoneum) et ut tanto muneri se praparent qui mittendi sunt, uti oportet, volumus, ut die trigesima junii, in qua celebratur commemoratio sancti Pauli apostoli, suffragiis communitatis eligantur duo in ministerio missionandi magis versati, quorum uterque possit, prout maluerit, designare sibi aliquem socium ex his, qui minus exercitati fuerint, et præter hos quatuor, cæteri in conventu remaneant. Et considerantes quanti sit laboris, quantique momenti hoc apostolicum opus, et peroptantes, ut quantum ad Nos attinet, præstet in animarum utilitatem omnem effectum, volumus, ut qui mittendi sunt ad missionandum per mensis spatium ante expeditionem celebrent sacrificium missæ inter primam, gaudeantque immunitate horis minoribus assistendi; et per octo dies tam ante egressum, quam post regressum absolvantur ab omni choro; sciant tamen quod ante quadragesimam regressuri sunt in cœnobium ita indispensabiliter, ut nullo modo, nec titulo sui muneris prosequendi, nec precibus populorum, aut personæ cujuscumque sit conditionis, aut dignitatis audeant contra hanc ordinationem diutius immorari. Sed excipiendi sunt ab hac regula, qui vocati fuerint a reverendo patre provinciali, ut Matriti suum missionandi opus exerceant tempore quadragesimæ, uti apud nostrates tunc temporis singulis annis tale opus exercetur; hi enim poterunt illic permanere usque ad triduum paschatis resurrectionis Domini inclusive, quo peracto redeant ad claustra, ut jugum clausuræ, et observantiæ iterum subeuntes, spiritus reviviscat, et augeatur, uti volebat seraphicus P. N. S. Franciscus; et in sequentem annum eligentur prædicto die alii duo missionarii, ut simul cum sociis, qui saltem non erunt iidem ac præcedenti anno fuerunt a missionariis designati, ab adventu ad quadragesimam exerceant in populis suum apostolicum ministerium.

§. 17. = XIII. Si demandentur sermones quadragesimales poterunt prædicari; sed nullus religiosorum illos admittat absque prævio consensu patris guardiani, et commissariorum, quem nullo modo præstabunt, si obstare prævideant choro, et observantiæ regulari, quia hæc omnibus est præponenda. Religiosi nunquam e conventu egrediantur nisi bini juxta assignationem a patre guardiano factam, quod quidem intelligi debet etiam de prædicatoribus, de quibus nunc: et hi ante, et post quadragesimam, vel majorem hebdomadam, si de hac solum fuerint conciones, gaudeant immunitate missæ, et horarum minorum, uti in eadem provincia moris est; sed remigrandum ad conventum sciant post triduum paschæ indispensabiliter. Sciant pariter tam isti, quam missionarii, quod quamvis absolvantur a choro modo, et tempore supra annotatis, non tamen ab assistentia conferentiarum, et explicationis doctrinæ christianæ; his enim exercitiis adesse debent sicuti etiam orationi mentali, quæ matutino tempore habetur. Conciones, quas panegyricos dicunt, vel non admittantur, vel admissæ si excusari non possint, componantur, et recitentur juxta mentem S. P. N. Francisci: hoc est non ad applausum, sed ad gloriam Dei, et sanctorum, ad animarum utilitatem, et ædificationem populi.

De immunitatibus prædicatoribus concedendis.

§. 18. = XIV. Quoniam dubitare aliquis poterit, obstet ne puræ regulæ observantiæ admittere eleemosynam, qua remunerari solent prædicatores tum in quadragesima, tum in hebdomada majori, aut in aliis concionibus decla-

De stipendio non recipiendo pro remuneratione prædicationis.

ramus, quod si talis remuneratio fiat mediante denario, vel pecunia, nullatenus accipiatur, sed moneant talia largientes nobis interdictam esse talem receptionem, et quidem præcipue in stipendium prædicationis, aut alterius cujuslibet spiritualis obsequii: sin autem eleemosyna, vel remuneratio sit in specie illarum rerum, quæ communitati sunt necessariæ poterit admitti, non ut stipendium, sed ut spontanea remuneratio, seu eleemosyna. Advertendum tamen, quod si communitati sit aliquid necessarium propter quod sit licitus recursus ad benefactores, seu amicos spirituales, et mendicatione inveniri non possit, ut oleum, cera etc. vel in conventu sint aliquæ ruinæ reficiendæ, vel aliqua ornamenta sacra necessario emenda, tunc licebit proponere illis talem necessitatem, cui si occurrere voluerint, poterunt applicare in hunc finem eleemosynam, vel per semetipsos, vel per alios, prout ipsis magis placuerit; si vero respondeant, se nec posse, nec scire cui hoc negotium committatur, proponatur illis aliqua persona, quam fideliter executuram magis credatur. Totum enim hoc est juxta declarationem Nicolai III: et oportet, ut ita fiat, ne onerosi reddamur amicis spiritualibus, quando sine ipsorum molestia necessitatibus subveniri potest.

Excepta pecunia, cætera ad usum vitæ necessaria recipi poterunt.

§. 19. = XV. Tandem quia dubitari fortasse poterit sit nec ne conforme prædictæ puræ observantiæ petere eleemosynam (vulgo hornazo) qua in aliquibus populis solet remunerari concionator post quadragesimam; declaramus, quod sicut mendicatio omnium rerum nostræ sustentationi, vestitui, et exequutioni munerum nostrorum competentium conformis est nostræ seraphicæ regulæ, uti declaravit Nicolaus III., ita conformis erit puritati ipsius petitio talis eleemosynæ, dummodo quidquid accipitur sit comestibile, aut in specie assignatis finibus convenienti, verbi gratia, linteum, mappula etc., et nequaquam accipiatur pecunia nec per ipsum concionatorem, nec per illos, qui ipsum comitantur.

De confessariis eligendis, quos inter deputandus hebdomadarius.

§. 20. = XVI. Singulis quibuscumque hebdomadis designabitur unus ex confessariis, cui incumbat excipere confessiones omnium, qui accedant, aut illorum, quos moneatur quærere confessorem non determinatum: et ne quis subterfugere audeat, neque onus, neque oneris promptam expeditionem, incipiat pater guardianus, quem suo ordine sequentur omnes; et tales confessarii in hebdomada, quæ ad illos spectat, celebrent inter primam sacrificium missæ, et absolvantur in choro ab illis horis, in quibus ad confessionem incumbant; cæterorum vero nullus gaudeat hoc privilegio, quia omnes debent divinis laudibus interesse, exceptis illis diebus magni concursus pœnitentium, in quibus superior designabit alium confessarium, vel alios, prout, attento concursu, magis videbitur.

De discessu concedendo ægrotantibus in aliquo monasterio.

§. 21. = XVII. Si aliquis ex religiosis prædicto cœnobio nunc assignatis, et in posterum assignandis diutius in eo commorari noluerit propter defectum salutis, vel aliam ob causam, scribat reverendo patri provinciali, ut sua obedientia in aliud possit migrare. Similiter, quando aliquis ex prædictis religiosis notabiliter violaverit præsentes ordinationes, pater guardianus per literas a conjudicibus subscriptas, et in quibus exponantur defectus, moneat reverendum patrem provincialem, et petat, ut in aliud cœnobium immigrare faciat, quo renuente, vel nimium procrastinante, renuntietur nobis, ut provideamus.

De non recipiendis in coenobio nisi de consensu majoris partis commissariorum.

§. 22. = XVIII. Ne autem oleum, et operam perdamus, sed potius omnia ad exitum perduci possint, ut exoptamus; decernimus, ut religiosorum nullus, qui nunc in prædicto cœnobio habitant, et in posterum habitaturi, ex eo in aliud egredi cogatur, nisi in scriptis petierit ipse; neque in aliud mittatur ullus, nisi præviis ipsius supplicatione, et consensu patris guardiani, qui minime illum præstabit, donec major pars commissariorum, seu conjudicum in receptionem, omnibus bene perspectis, consentiat. Hi autem, et pater guardianus omni receptioni præmittant serium, et grave judicium dotium seu circumstantiarum petentis: et in hoc attendendum sciant, non tantum, quod ad missionandum polleat ingenio, sed quod habeat spiritum ad conservationem puræ observantiæ; cui maxime consulendum, utpote quæ principaliter in præfato cœnobio intenditur; unde excludendos putamus, qui tali spiritu carent, quamvis ad missionandum gaudeant talento; et e contra eligendos volumus, et declaramus, qui quamvis tali talento non polleant, gaudent tamen spiritu, cæterisque dotibus necessariis ad conservationem puræ observantiæ. Hoc ipsum, et quidem, potiori jure, observatum volumus circa

religiosos jam existentes, quorum excludatur nullus, neque in aliud cœnobium mittatur, præcise quia inhabilis ad missionandum, modo ad conservationem puræ observantiæ aliunde idoneus censeatur; hi enim domi manentes, uti etiam religiosi laici, si suis privatis muneribus satisfaciant, utiliores erunt, et in animarum salute meliorem partem, quam vel ipsi missionarii forte obtinebunt, uti in hunc finem interpretabatur S. P. N. Franciscus illud 1. reg. in cap. 2. = *donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est* = nec minori afficientur præmio, si, dum fratres, et socii incumbunt saluti animarum, earumque liberationi a captivitate infernalium amalecitarum, incumbant et ipsi domi manentes satisfactioni munerum omnibus communium, et conservationi puræ observantiæ: æqua enim pars erit descedentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas; et similiter divident. 1. reg. cap. 30. v. 12.

De mutua dilectione servanda.

§. 23. = XIX. Cum accidere possit, ut post vacationem officii guardiani, aut vicarii, quia vel obierunt, vel justis de causis privati fuerunt, supersint adhuc sex menses, aut amplius usque ad celebrationem capituli provincialis, vel congregationis intermediæ; et cum etiam possit accidere, ut inter religiosos prædicti conventus, ex quibus, et non ex aliis, deligendus est pater guardianus, et similiter ejus vicarius, adsit nullus, qui servato ordine tripartitæ, in demortui, vel privati locum subrogari possit, in hoc casu primo quoque tempore renuntietur nobis, ut quid tunc conveniat, declaremus, vel provideamus. Super omnia autem mutuam inter religiosos charitatem commendamus verbis sancti Joannis apostoli: *Fratres diligite alterutrum*: itaut se invicem ament, se invicem adjuvent, et juxta mentem apostoli ad Galatas = *alter alterius onera portate* =, se invicem sufferant, et infirmitates mutuo sustineant, considerantes omnes nos ejusdem corporis esse membra, cujus caput est S. P. N. Franciscus, et verius, Jesus Christus Dominus noster, qui exemplum dedit dum viveret, ut diligeremus nos invicem, sicut et ipse dilexit nos. Commendamus etiam, et quidem serio, efficaciter, et impense curam fratrum infirmorum (quicumque sint), quorum saluti ut consulant, possint, quando necessum videbitur, recurrere vel ad pecuniam, ut sancta regula nostra monet: et cum moneat etiam, ut officia pietatis, quæ quisque vellet præstita sibi, præstet et ipse fratri suo in æquali necessitate, omnes religiosi visitent, solatium præbeant, amicaque, sancta, et prudenti conversatione infirmorum animum erigant, quod ut possint exequi, et exequantur, exclusas declaramus infirmorum cellas a prohibitione generali, in qua ingressus cellarum interdicimus religiosis. Hoc autem onus sciant pater guardianus, et vicarius principaliter ipsis incumbere; unde non solum debent frequentius invisere infirmos (bis saltem, aut ter singulis quibusque diebus) sed etiam designare aliquem religiosum, vel choristam, qui subministret illis omnia necessaria, sicuti nostri præscribunt ordinis constitutiones. Et largientes vobis omnibus amore quidem paterno nostram benedictionem, quam Deus optimus corroboret, suoque potenti brachio extendat super suos apostolicos viros, ut rata habeantur hæc omnia, sic statuimus, subscripsimus, et signare fecimus sigillo nostri officii in hoc nostro conventu Maguntiæ tertio decimo kalendas decembris, anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo quinto.

Fr. Paulus minister generalis licet indignus.

Loco ✠ sigilli.

§. 24. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Karolus rex ordinationes hujusmodi a memorato Paulo ministro generali, ut præfertur, editæ quo firmius subsistant, et non solum in proprium eorumdem fratrum, verum etiam aliorum christifidelium bonum, et utilitatem exactius, et perpetuo serventur, apostolicæ Nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret. Nos piis, ac laudabilibus, et catholico rege dignis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, libenter annuere volentes, eorumdemque fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus nomine ipsius Karoli regis Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas ordinationes a dicto Paulo ministro generali, ut præfertur, factas, una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmita-

Approbatio apostolica ordinationum a ministro generali editarum.

tis robur adjicimus, et omnes, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam substantiales defectus, si qui in præmissis quovis modo intervenerint, supplemus, et sanamus.

Quidquam in illis variari inconsulta sancta Sede prohibetur.

§. 25. Mandantes propterea omnibus, et singulis conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi superioribus, fratribus, et personis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut omnia, et singula in præinsertis ordinationibus contenta, et expressa adamussim omnino observent, et exequantur, et ut ab aliis observentur diligenter curent, et faciant; nec quidquam in eis a quoquam cujusvis dignitatis, et auctoritatis existat, mutari, alterari, aut revocari quovis modo posse, inconsulta Sede apostolica, prohibemus omnino, ac interdicimus. Itaut si dubium aliquod in posterum super earum interpretatione, et executione ullo unquam tempore oriri contingat, pro dubio etiam hujusmodi declarando, ac definiendo, et tollendo, ad Sedem apostolicam prædictam semper omnino recurendum esse volumus, præcipimus, et jubemus.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 26. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, Sedisque apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 27. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, conventus, provinciæ, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## XC.

Dat. die 7. Septemb. 1770 Anno II.

Supprimitur monasterium monialium ordinis sancti Augustini loci Vighizzoli Derthonensis diœcesis, et ejus bona applicantur paræciis, et seminario ecclesiastico, ejusdem civitatis Derthonensis.

Venerabili fratri episcopo Derthonensi

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus promotor fiscalis curiæ episcopalis Derthonensis, quod cum monasterium monialium ordinis sancti Augustini in loco Vighizzoli Derthonensis diœcesis non procul ab ipsa civitate constitutum gravibus, et frequentibus obnoxium sit incommodis, ac periculis, cum propter loci solitudinem, tum propter ejus propinquitatem arci, et munitionibus prædictæ civitatis. Hinc Nobis humiliter supplicari fecit, ut securitati, commodis, ac quieti dictarum monialium paterna solicitudine consulere, et in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Committitur episcopo, ut transferat moniales ad aliud monasterium ejusdem ordinis, accedente eorum consensu.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tan-

tum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione tua, et venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petrensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, prævia suppressione ejusdem monasterii, debitis servatis cauthelis, moniales in eo existentes ad alia monasteria dictæ civitatis, ejusve diœcesis libere, ac licite auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium transferre possis, et valeas, ita tamen, ut legitima, et capitularis acceptatio monialium ad quarum monasteria prædictæ moniales suppressi monasterii hujusmodi transferendæ erunt, accedat.

*Et post receptionem in alio monasterio, juxta jam professam regulam eas vivere sinat.*

§. 3. Ipsæ vero moniales sic, ut præfertur, translatæ nec novam probationem, nec professionem peragere debeant, sed juxta regulam sancti Augustini ab eis professam vivere pergant, servatis ceteroquin quantum fieri poterit constitutionibus monasteriorum, ad quæ dictæ moniales transferrentur in iis, quæ juxta datam tibi a Domino prudentiam, earum instituto minime adversari judicaveris.

*Consulitur manutentioni ecclesiæ monasterii.*

§. 4. Volumus autem, et auctoritate, ac tenore prædictis statuimus, et ordinamus, ut ecclesiæ monasterii prædicti consultum sit tam pro manutentione ejus fabricæ, quam pro satisfactione, et adimplemento onerum missarum, et legatorum piorum, quæ juxta testatorum respective dispositionem in eadem ecclesia sunt adimplenda.

*Redditus autem monasterii seminario Derthonensi applicantur, lege adjecta de congrua monialibus substentatione præbenda.*

§. 5. Præterea ædificium dicti monasterii, ejusque bona, redditus, et jura quæcumque, detractis congruis assignamentis infradicendis, et adimplemento onerum, et legatorum piorum, in eo quod supererit seminario Derthonensi applicari posse concedimus, et indulgemus, ea tamen lege, ut ex fructibus eorumdem capitalium, sic, ut præfertur, unitorum, et applicatorum congruum assignamentum unicuique ex prædictis monialibus, quod pro eorum substentatione, atque alimentis monasteriis, ad quæ ipsæ erunt transferendæ, earum vita naturali durante, solvi, et præstari debeant juxta modum, et taxam, quam pro rerum circumstantiis præferire indicaveris. Defectis tamen monialibus, seu majori earum parte, volentes quoque parochialium ecclesiarum indigentiis prospicere, hinc, ut postquam idem seminarium de omnibus expensis reintegratum fuerit, bona prædicta favore earumdem ecclesiarum parochialium, dummodo pauperes sint, et aliorum locorum piorum, subventione tamen indigentium, præservata etiam aliqua portione favore seminarii prædicti, perpetuo applicare, et unire possis, et valeas, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus, idque nunc pro tunc a te fieri volumus, et jubemus, salva tamen in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

*Clausulæ salutares pro plena executione concessionis elargitæ.*

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac monasterii, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die septima septembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Datum die 25. Septemb. 1770 Anno II.

## XCI.

Dilectæ in Christo filiæ Mariæ Constantiæ Marin de Pobeda marchionissæ de Cañada Hermosa nobili sancti Jacobi de Chile, seu alterius civitatis, vel diœcesis, conceditur usus privati oratorii.

Clemens PP. XIV.

Dilecta in Christo filia salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor gratiæ cum suis reservationibus.

§. 1. Spirituali consolationi tuæ quantum cum Domino possumus benigne annuere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutam fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, tuisque filiis, et descendentibus, sive masculis, sive fœminis, pro tempore tamen possessoribus majoratus de Asua, vel marchionatus de Cañada Hermosa in perpetuum, ut tam tu, quam ipsi, seu ipsæ, ut præfertur, in privatis domorum tuæ, et eorum, seu earum respective habitationis in civitate, et diœcesi sancti Jacobi de Chile existen. oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium loci prius visitandis, et approbandis, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, ac paschatis resurrectionis, pentecostes, et nativitatis Domini nostri Jesu Christi festis diebus exceptis, in tua, ac respective eorum, seu earum illorumque, seu illarumque natorum consanguineorum, et affinium secum insimul in eadem domo habitantium, familiæque, et quoad oratoria ruri existentia etiam in hospitum nobilium præsentia celebrari facere libere et licite possis, ac valeas, ac ipsi, seu ipsæ respective possint, et valeant auctoritate nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xxv. Septembris MDCCLXX. pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 9. Novemb. 1770 Anno II.

## XCII.

Indulgetur, ut in civitate, et diœcesi Oxomensi festum sanctissimi rosarii in dominica prima octobris sub ritu duplici primæ classis celebretur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, capitulum, et canonici ecclesiæ cathedralis Oxomensis, quod cum in loco Caleruega nuncupato ejusdem diœcesis ortum habuerit sanctus Dominicus de Guzman ordinis prædicatorum fundator, qui et canonicus quoque extitit ejusdem cathedralis ecclesiæ, ac recitationem sacratissimi rosarii instituit, hinc dicti exponentes, ut festum sub nuncupatione rosarii in dicta civitate, et diœcesi Oxomensi majori, ac solemniori modo in posterum peragatur, et celebretur, festum hujusmodi sub ritu duplici primæ classis prima dominica cujuslibet mensis octobris in civitate, et diœcesi prædicta celebrari posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio gratiæ.

§. 2. Nos igitur votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ipsosque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum festum hujusmodi sub nuncupatione rosarii anno quolibet prima dominica mensis octobris in dicta civitate, et diœcesi Oxo-

mensi sub ritu duplici primæ classis celebrari possit, et debeat, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium statuimus, præcipimus, et mandamus. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, et generalibus, ac provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus; vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die nona novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## XCIII.

Datum die 20 Novemb. 1770 Anno II.

Indulgentiæ assequendæ in festo sancti Josephi a Calasantio extenduntur etiam ad diem translationis festivitatis, pro locis, in quibus translatio ipsa celebrari contigerit.

### Clemens PP. XIV.

### Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur necessitas variorum locorum distulendi celebrationem festivitatis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cajetanus a sancta Agnete modernus procurator generalis clericorum regularium congregationis pauperum matris Dei scholarum piarum nuncupatæ; quod in aliquibus ejusdem congregationis ecclesiis juxta varias locorum circumstantias festum sancti Josephi a Calasanctio ejusdem congregationis fundatoris non statuto die, sed dominico, aut alio ex septem diebus prædictum festum immediate sequentibus celebrari solet; proptereaque ne christifideles spiritualibus indulgentiarum muneribus, visitantibus ecclesias præfatæ congregationis ab apostolica hac sancta Sede in festo ejusdem sancti elargitis, privati existant; idem Cajetanus a sancta Agnete Nobis humiliter supplicare fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Et ideo providetur per ampliationem gratiæ super consecutione indulgentiarum.

§. 2. Nos itaque ad augendam fidelium religionem et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere pœnitentis et confessis ac sacra communione refectis, qui de cætero aliquam ex ecclesiis dictæ congregationis, in quibus ob locorum circumstantias festum dicti sancti Josephi variari solet, ut præmittitur, die quo festum hujusmodi ibidem respective celebrabitur, devote visitaverint, ac pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut plenariam indulgentiam, et peccatorum remissionem alias in festo prædicto impertitam, servata tamen in reliquis literarum super concessione hujusmodi emanatarum forma et dispositione, consequi valeant, concedimus et indulgemus; quam plenariam indulgentiam, et peccatorum remissionem ad ecclesias pariter, quas clerici regulares congregationis prædictæ regere, aut administrare solent, auctoritate apostolica tenore præsentium ut supra extendimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu procuratoris generalis prædictæ congregationis pro tempore existentis, et sigillo dictæ congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xx. novembris MDCCLXX. pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 21. Novemb. 1770. Anno II.

## XCIV.

Confirmatio indultorum concessorum monialibus ordinis Carmelitarum excalceatarum super recitatione matutini non repetenda.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Religiosæ sacrarum virginum, quæ fugiendo mundi hujus blandimenta divinis obsequiis se mancipaprunt, tranquillitati consulere jugiter studentes, illa, quæ a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris ad earum animos a quocumque scrupoli timore levandos decreta fuisse noscuntur, dum id a Nobis petitur, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio roboramus, ut ita absque scrupulorum timore, omni cum quiete ipsæ viventes majora in dies cœlestis gratiæ, Deo donante, suscipiant incrementa.

Expositio concessionis factæ a Clem. XII.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ modernæ priorissa, et moniales monasterii sancti Dionysii Parisiensis civitatis, vel diœcesis ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo excalceatarum nuncupatarum, quod alias felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor Noster supplicationibus quondam Philippi a sancto Nicolao tunc temporis generalis ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum inclinatus omnibus monialibus ordinis hujusmodi concessit, atque indulsit, ut ipsæ, quoties propter supervenientem somnum in recitatione matutini per earum constitutiones apostolica auctoritate confirmatas præscripta, quæ hora noctis admodum incommoda fieri solet, illud integre minime dixissent, omnes defectus hac de causa ab eis in recitatione hujusmodi incursos apostolica auctoritate supplebat, illasque a nova, sive integra, sive partiali dicti matutini recitatione absolvebat, injuncto insuper, ut omnem quoad rem hanc scrupulum ipsæ deponerent.

Provisio capta a Bened. XIV. pro quiete conscientiarum monialium super dispensatione a nova recitatione matutini.

§. 3. Postmodum vero Rinaldus Maria a sancto Josepho in generalis hujusmodi munere successor supplices porrexit preces recolentis memoriæ Benedicto pp. XIV. itidem prædecessori Nostro, ad hoc ut ea, quæ vivæ vocis oraculo idem Clemens prædecessor memorato Philippo generali dixerat, scripto mandarentur; ipse autem Benedictus prædecessor omnes facultates opportunas, et necessarias eidem Rinaldo Mariæ generali suo rescripto concessit, quarum facultatum vigore die IX. aprilis MDCCLIII. ipse Rinaldus Maria ad omnia monasteria ordinis hujusmodi suas epistolas misit, quibus non solum moniales ab omni defectu præmissa de causa incurso absolvebat, cum eis super nova recitatione sive partis, sive totius matutini dispensando; sed etiam quia ipse noverat, quod pro majori suarum conscientiarum quiete dictæ moniales desiderabant, ut aliqua alia vocalis oratio subroganda esset, hinc absolutioni, et dispensationi hujusmodi quoad illas moniales, quæ de satisfactione dubium habuissent, onus ipse addidit recitandi per quinque vices orationem dominicalem, et salutationem angelicam, addita tamen declaratione, ut omnis via timori, novisque scrupulis præclusa esset, quod easdem moniales recitationi dictarum precum graviter obligare non intelligebat, ac alias prout in ejusdem Rinaldi Mariæ epistolis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictæ exponentes præmissa omnia a memoratis Clemente, et Benedicto prædecessoribus, ut præfertur, concessa, et indulta, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsas exponentes, ac præsertim dilectissimam in Christo filiam Nostram Aloysiam Mariam regiam Galliarum principissam, quæ raro quidem christianæ pietatis exemplo, regiæ aulæ splendorem relinquens, et terrena omnia blandimenta despiciens totam se Deo in eodem monasterio, et ordine dicavit, specialis favore gratiæ prosequi volentes, ac earumdem exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia ab eisdem Clemente et Benedicto prædecessoribus Nostris, ut præfertur, con-

Preces porrectæ pro confirmatione concessionis factæ a præcitatis Pontificibus quæ indulgetur.

cessa, et indulta, atque a dicto Rinaldo Maria suis epistolis scripta, et declarata, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis, et monasterii ejusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 24. Novemb. 1770. Anno II.

## XCV.

Allocutio habita in consistorio secreto, qua renovatam necessitudinem et officiorum consuetudinem fuisse cum fidelissimo Portugalliæ rege nunciatur.

Clemens PP. XIV.

Venerabiles Fratres

Proemium.

§. 1. Non sine divino consilio evenisse putamus, venerabiles fratres, ut quæ vobis significare die vicesima hujus mensis decreveramus, ad hodiernam diem differre debuerimus. Hæc enim dies illa est, qua sex ab hinc lustris Noster in urbem adventus Nostrorum tum superiorum voluntate decretus fuit, auctoritateque ac jussu confirmatus. Hæc ipsa est dies, qua licet immeriti prorsus, ac renuentes, huic vestro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegio adscripti fuimus. Hæc postremo dies illa nunc est, quam elegit Dominus, ut exultemus, et delectemur in ea.

Laudes regis Portugalliæ.

§. 2. Quod enim certissime confidebamus, venerabiles fratres, vobisque receperamus, futura cumulatiora in dies præclara illa carissimi in Christo filii Nostri Josephi Portugalliæ et Algarbiorum regis fidelissimi in Nos studia, ejusque novis atque illustrioribus pietatis indiciis, ac in Ecclesiam meritis Nos una vobiscum perpetuo læetaturos, reipsa fuit id jam apertissime luculentissimeque comprobatum. Amplas ipsas spes, pollicitationesque nostras, pleniores etiam sunt atque uberiores rerum exitus consecuti. Egregia pristina illa inter Nos regemque fidelissimum non solum est redintegrata necessitudinum officiorumque omnium consuetudo, verum etiam admirabili quodam charitatis ac pietatis consensu major, quam unquam antea fuerat, stabilita ac roborata conjunctio. Cum hæc vobis futura prædiceremus, non incerta atque ex cupiditate ac desiderio nostro profecta divinatione, sed intimo ac firmissimo quodam judicio movebamur, gravissimis causis summaque ratione suscepto. Maximum ac certissimum habebamus fiduciæ omnis nostræ initium ac fundamentum, ipsum carissimi in Christo filii Nostri jampridem Nobis tot verissimis indiciis declaratum animum, illius religionem, pietatem, fidem cum singularibus suis, suorumque majorum, totiusque regiæ domus in hanc sanctam Sedem studiis conjunctam.

Suam jucunditatem exprimit Pontifex, et bona plurima, quæ ab hac christiani principis concordia expectanda sint, declarat.

§. 3. Sed quanquam in hæc intuentes optimos rerum omnium eventus jam tum cogitatione præciperemus, tamen allato nuper e Lusitania faustissimo nuncio tam inusitata ac tam incredibili jucunditate perfusi sumus, ut si nova, ac inexpectata ista Nobis accidissent, majorem capere lætitiæ fructum non potuissemus. Hoc verissime vobis affirmamus, illo auspicatissimo die nullum unquam Nobis neque jucundiorem illuxisse, neque lætiorem diem. Uno eodemque tempore obversabantur animo hæc omnia: optimi regis eximia ac singularis virtus, hoc præstantissimo opere immensa ad immortalem ejus nominis gloriam facta accessio, Ecclesiæ utilitas, apostolicæ Sedis dignitas, omnium bonorum plausus, ac in vos potissimum summa inde redundatura lætitia. Quæ singula ingentem jucunditatis causam afferebant, universa summi gaudii nostri magnitudinem mirum in modum cumulabant.

Laudes reginæ Mariæ Annæ Victoriæ fidelissimi regis uxoris, aliorumque qui adjutrices præbuere manus in subortis componendis dissidiis.

§. 4. Cujus igitur sapientia, religione, atque erga Nos pietate hæc est animorum in Nos profecta jucunditas, quanta alacritate, qua mentis contentione danda a Nobis erit opera, ut eidem Nos memores, ut gratissimos, ut illius felicitatis, ac gloriæ cupidissimos declaremus? Quæ charitatis, atque amoris studia, quæ laudis, honoris, atque existimationis ornamenta in eumdem erunt conferenda, quem gloriosissimi clarissimique facti auctorem esse agnoscimus? Sed in commemorandis egregiis illius de Nobis meritis minime sunt ab ipso disjungendæ carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Annæ Victoriæ illius præstantissimæ optimæque conjugis reginæ fidelissimæ laudes. Cum illa eximiam regis æmulata voluntatem singularibus studiis exarserit, ut de Nobis, ac de Ecclesia universa præclarissime mereretur, suæque in Nos pietatis hoc præcipue tempore illustriora monumenta posuerit, summis a Nobis est et immortalibus commendationum et gratiarum actionibus exornanda. Pari præterea animo in omnem regiam nobisque dilectissimam domum affectos Nos esse oportet, cujus ad veteres præcellentes virtutes accedunt inde nova nunc ac maxima gloriæ, et in Nos meritorum incrementa. Quæ vero et quanta esse debet nostra etiam de dilecto filio nobili viro comite de Oeyras fidelissimi regis secretario status laudum atque honorum prædicatio? Cujus præter ceteras commendationes nunc maxime illustria erga Nos studii atque observantiæ, et erga regem singularis obsequii ac fidei testimonia extiterunt. Perhonorifice itidem est a Nobis nuncupandus dilectus filius nobilis vir commendator de Almada ejusdem regis apud Nos minister plenipotentiarius, quem pios ac præclaros regii animi sensus ad Nos sæpe deferentem perlibenter excipimus, quemque ob suam in eo perfungendo munere operam ac diligentiam plurimi facimus. Demum omnes regiæ civitatis ordines, ac omnis Ulysiponensis populus, qua erga Nos, et hanc beati Petri cathedram intima animi devotione flagraret, eximie gaudio illo, ac pene triumpho declaravit, quo elatus ac inflammatus fuit, cum regis exemplo, ejusque sapientissimo facto, ac ab omni posteritate commemorando ad suam erga apostolicam Sedem palam expromendam pietatem excitaretur.

Pro incolumitate regiæ domus, optat

§. 5. Quæ quidem omnia vobiscum, venerabiles fratres, pro ea quæ inter Nos est conjunctione, communicanda nunc duximus, ut diffusiorem ac splendidiorem quodammodo lætitiam hanc nostram faciamus. Præstantissimo hoc fidelissimi regis opere existimate jucundissimum vobis esse munus impositum, ut gratam vestram, atque in illum studiosissimam voluntatem publicis etiam lætitiæ signis præferatis, ut omni laudum genere illum pro tam insignibus meritis prosequamini. Sed illam unam præclarissimam atque expeditissimam gratiæ referendæ viam esse putate, si Dei benignitatem pro ipsius incolumitate, regiæque domus gloria, regnique felicitate deprecari nunquam desistatis.

Pontifex ut preces Deo mittantur.

Et publica vota fieri jubet.

§. 6. Nos profecto in id maxime semper incumbemus, ut in dies magis possit, quanta in ipsum sit charitatis, studii, atque amoris nostri magnitudo, cognoscere. Interea Deo optimo maximo pro collato Nobis suæque Ecclesiæ tam excellenti beneficio, quantas maximas possumus, gratiarum laudes publice persolvemus. Illuc vero summa paterni animi contentione effusissimas nostras ad Deum preces assidue dirigemus, illuc etiam populi hujus fidelissimum regem, ac omne lusitanum nomen summis laudibus extollentis, universæque almæ urbis Nostræ miro gaudio elatæ vota convertemus, ut quanto ampliora sunt optimi regis de religione merita, tanto auctiores suas suique regni fortunas, atque copias, et veræ ac solidæ gloriæ fructus divinæ gratiæ munere locupletiores esse intelligat.

---

## XCVI.

Dat. die 24. Novemb. 1770. Anno II.

Declaratio super numero lectorum, qui suffragium ferre debeant in capitulis provinciæ Castellæ ordinis minorum sancti Francisci de Observantia.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Aliæ constitutiones editæ super eadem materia memorantur.

§. 1. Alias Nos per nostras in simili forma Brevis die XV. junii currentis anni expeditas literas nonnullas reformationes in duodecim capitibus distributas, ac respicientes feliciorem statum studiorum fratrum provinciæ Castellæ ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, in

quibus præ cæteris numerus quatuor studiorum hujusmodi ad duo tantum studia generalia, Toletanum nempe, et Complutense redactus fuit, apostolica auctoritate confirmavimus, et approbavimus, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Nuper vero exponi Nobis fecerunt dilecti filii moderni commissarius generalis familiæ Ultramontanæ, minister, atque fratres definitorii provinciæ, et ordinis prædictorum, quod cum in eisdem reformationibus, seu novis statutis per Nos, ut præfertur, confirmatis, nulla facta fuerit mentio de iis, quæ quoad numerum lectorum constituta dudum fuerunt in capitulo generali ordinis hujusmodi habito anno MDCXII. in alma urbe, quibus pro familia Ultramontana cautum reperitur, ut octo lectores jubilati in qualibet provincia, duo nempe pro quolibet conventu, in quo vigeat studium theologiæ, jus habeant suffragium ferendi in capitulis ipsius provinciæ; hac de re attenta reductione omnium studiorum existentium in provincia Castellæ dicti ordinis ad duo tantum studia generalia in præfatis reformationibus, seu novis statutis præscripta, octo lectores jubilati antiquiores suffragium in posterum ferre minime valerent in capitulis provincialibus ejusdem provinciæ. Verum quia, sicut eadem expositio subjungebat, quamvis a memoratis reformationibus, seu statutis reductus sit numerus studiorum, nihilominus cum minime diminutus fuerit lectorum numerus, qui juxta præscripta in dicto capitulo generali requiritur in quatuor conventibus ad hoc, ut duo lectores antiquiores jubilati pro unoquoque ex conventibus hujusmodi suffragium ferre valeant in eisdem capitulis provincialibus; hinc dicti exponentes per eamdem reductionem studiorum theologiæ ad duo tantum studia generalia in dictis reformationibus præscriptam minime sublatum esse octo lectoribus jubilatis antiquioribus de numero nuncupatis præsentibus, ac futuris jus suffragandi in capitulis provincialibus dictæ provinciæ per Nos declarari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Jus conceditur etiam lectoribus jubilatis ferendi suffragium in omnibus capitulis provincialibus.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione dilecti filii Nostri Aloisii Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Torrigiani nuncupati ejusdem ordinis apud Nos, et Sedem apostolicam protectoris, eisdem nunc, et pro tempore existentibus octo lectoribus jubilatis, et de numero nuncupatis ordinis, et provinciæ hujusmodi, ut etiamsi per easdem reformationes, seu statuta a Nobis, ut præfertur, approbata, studiorum prædictorum numerus ad duo tantum studia generalia reductus fuerit, et in dicto capitulo generali anni MDCXII. præscriptum sit, ut duo tantum lectores pro quolibet conventu suffragium ferre valeant in capitulis suæ provinciæ, nihilominus ipsi jure ferendi suffragium in omnibus capitulis provincialibus provinciæ Castellæ prædictæ frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si studia theologiæ in quatuor distinctos conventus provinciæ hujusmodi, quemadmodum antea, ita et in posterum distributa fuissent, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, decernimus, et declaramus.

Clausulæ salutares pro pleno effectu, et observantia constitutionum.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus memoratis Nostris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et

literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vicesima quarta novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 27. Novemb. 1770. Anno II.

## XCVII.

Nosocomio civitatis Lucanæ attenta ejus gravi indigentia conceditur cum nonnullis pactis, et conditionibus in emphiteusim perpetuam monasterium de Frigionaria ordinis canonicorum congregationis Lateranensis existens in agro Lucano.

### Clemens PP. XIV.

### Ad futuram rei memoriam.

Proemium

§. 1. Bonus ille pastor æternus, qui humilitatem Nostram, nullo licet meritorum suffragio, ad ejus vicesgerendas in terris eligere dignatus est, præcipuam paternæ charitatis Nostræ solicitudinem assidue excitat, ut ad ea vigili studio intendamus, per quæ necessitatibus, et angustiis piorum locorum ad curandos pauperes infirmos, et filios infantes a suis genitoribus derelictos excipiendos provide, sancteque institutorum consulitur: quo circa in eorum conservationem, utilitatem, ac incrementum pastoralis officii Nostri partes interponere non prætermittimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii nobiles viri antiani, et vexillifer reipublicæ Lucanæ, quod publicum nosocomium Misericordiæ nuncupatum civitatis Lucanæ, quo ex universa Lucensium ditione gravi valetudine affecti confluunt, ac propterea projecti quoque infantes excipiuntur, aluntur que, iis angustiis modo urgetur, ac premitur, ut cum redditus deficiant, sumptusque in dies magis augeantur, ab extrema calamitate proxime abesse videatur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nullus excogitari valeat modus, quo aliquod subsidium, auxiliumque suppeditari possit dicto nosocomio tot angustiis, ac necessitatibus undique presso; in agro vero Lucano extet monasterium canonicorum regularium ordinis sancti Augustini congregationis Lateranensis de Frigionaria nuncupatum a prædicta civitate Lucana per quinque circiter millia passuum dissitum, redditibus satis abundans, quod quidem monesterium, licet in ecclesiastica historia magnopere commendatum, dum restitutæ canonicorum regularium hujusmodi disciplinæ initia ab eo repeti debeant, et quamplurimi viri doctrina, et morum integritate illustres illinc prodierunt, nihilominus hisce temporibus, propter miram canonicorum regularium prædictorum paucitatem, fere in solitudinem rediit; hinc dicti exponentes opem, quam aliunde nosocomio prædicto comparare posse non sperant, ex bonis, ac redditibus monasterii hujusmodi per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Incorporantur canonici regulares agri Lucani, aliis existentibus in urbe, sub unico procuratore generali.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, serio perpensa qualitate nosocomii hujusmodi, tam animarum in primis saluti, quam publico bono omnium pauperum infirmorum, ac infantium admodum necessarii, auditisque prius super præmissis informationibus, ac relationibus bonæ memoriæ Joannis Dominici, dum vixit, archiepiscopi Lucani, ac venerabilis fratris Martini moderni in eodem archiepiscopatu successoris; motu etiam proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, prædictum monasterium Frigionariæ nuncupatum congregationis ca-

nonicorum regularium Lateranensium hujusmodi in agro Lucano, ut præfertur, existens procuræ generali nuncupatæ eorumdem canonicorum regularium hujus almæ urbis Nostræ perpetuo unimus, adnectimus, et incorporamus, ac procuratorem generalem pro tempore existentem ipsius congregationis in verum abbatem, dominumque directum ejusmodi monasterii perpetuo pariter constituimus, et declaramus.

Et bona conceduntur nosocomio pro canone scutorum centum viginti, absque solutione laudemii.

§. 4. Ejusdem vero monasterii bona omnia stabilia, agros, domos, omnesque ejus actiones, et jura quæcumque, unacum illius ecclesia absque ulla laudemii solutione pro canone scutorum centum viginti monetæ romanæ quotannis dictæ procuræ generali in signum directi dominii solvendo, eidem nosocomio Misericordiæ civitatis Lucanæ in emphytheusim perpetuam, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concedimus, et assignamus. Volumus autem, ut procurator generalis prædictus pro tempore existens cappellanum, et custodem ecclesiæ monasterii hujusmodi cum congruo stipendio a rectore pro tempore pariter existente ejusdem nosocomii nominandum confirmare, et in die sancti titularis ejusdem ecclesiæ, sive per se, sive per alium abbatem dictæ congregationis missam in ea solemniter perpetuo itidem celebrare libere, et licite possit, et valeat; atque ut iis religiosis viris in eodem monasterio ante dictam postremo a canonicis regularibus hujusmodi habitam in civitate Nostra Bononiensi degentibus, qui vix quinque numerabantur, consultum sit: volumus pariter, ac decernimus, ut quotannis pro singulis sacerdotibus scuta sexaginta monetæ prædictæ, pro aliis vero laicis scuta triginta similia pro quolibet ex eis quoad vixerint a prædicto nosocomio solvenda sint iis respective monasteriis, sivi canonicis, quo suorum præsulum jussu iidem religiosi homines traducti fuerint; ac præterea onera quæcumque missarum, et alia legata pia per canonicos dicti monasterii usque adhuc adimpleri solita, in posterum quoque a nosocomio prædicto semper adimplenda esse statuimus, et ordinamus.

Eligitur archiepiscopus in executorem pontificiæ concessionis.

§. 5. Quo circa eidem venerabili fratri Martino archiepiscopo, quem in executorem præsentium Nostrarum literarum eligimus, et constituimus, de cujus prudentia, fide, pietate, et religionis zelo multam in Domino fiduciam habemus, per præsentes committimus, et mandamus, ut nosocomium Misericordiæ civitatis Lucanæ, ac pro eo, illius nunc, et pro tempore existentem rectorem in veram, realem, et actualem possessionem dicti monasterii de Frigionaria, illiusque omnium, et singulorum bonorum stabilium, domorum, prædiorum titulo emphyteusis perpetuæ nosocomio prædicto per præsentes, ut præfertur, concessorum, eorumque jurium, et pertinentiarum quarumcumque, una cum ejusdem monasterii ecclesia, auctoritate Nostra apostolica ponat, et immittat; eidem præterea Martino archiepiscopo per præsentes committimus, et injungimus, ut tam sacra supellectilia, et quæcumque vasa aurea, et argentea ad usum dictæ ecclesiæ destinata, quam mobilia in prædicto monasterio, ejusque domibus existentia, quæ ad conservationem fructuum, ac redditunm monasterii hujusmodi ipse Martinus archiepiscopus suo arbitrio, et prudentia pertinere judicaverit, ab eisdem canonicis regularibus eidem nosocomio, et pro eo illius rectori prædicto tradi, et consignari curet, et faciat; liceatque rectori prædicto possessionem hujusmodi apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, ac fructus quoque, redditus, proventus dictorum bonorum, et monasterii prædicti percipere, exigere, et levare, ac in ejusdem hospitalis infirmorum, ac infantium expositorum, et non in alios usus, præter onera superius expressa, convertere, et erogare.

Consulitur indemnitati procuratoris generalis, et nosocomii.

§. 6. Præterea, ut procuræ generalis, et nosocomii prædictorum indemnitati, et commoditati magis consultum sit, ut ipsa ratione dictæ unionis monasterii Frigionariæ hujusmodi, ac prædictæ emphyteuticæ perpetuæ concessionis, quatenus opus sit, ad nullam nunc et quandocumque, seu quovis tempore solutionem sive annatæ, sive quindenniorum, aliorumque jurium Cameræ Nostræ apostolicæ, ac venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegio, et dilectis filiis cancellariæ Nostræ apostolicæ, aliisque officialibus de communibus annatis, et quindenniis quomodolibet participantibus juxta romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum constitutiones debitorum minime teneantur, et obligata existant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod aliqui in præmissis interesse habentes, seu habere

quomodolibet prætendentes vocati, citati, et auditi non fuerint, consensumque non præstiterint, nec causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, nullo unqam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, et alio quocumque, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam impetrato, quempiam in judicio, seu extra illud uti, sive se juvare ullo modo posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus, seu applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo vero valore bonorum ecclesiasticorum uniendorum, seu applicandorum, et altera regulis de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones, seu applicationes perpetuas, nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, nec non quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli pp. II. de rebus ecclesiæ non alienandis, ac Pauli IV., Pii V., Sixti etiam V., Urbani VIII., et Clementis X., ac quorumcumque romanorum aliorum Pontificum prædecessorum Nostrorum super solutione annatarum, et quindenniorum, ac jurium prædictorum quomodolibet editis, et similiter rec. mem. Pii pp. IV. etiam prædecessoris Nostri de gratiis interesse Cameræ quomodolibet concernentibus in eadem Camera infra certum tempus tunc expressum registrandis, aliisque etiam in generalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinis, congregationis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## XCVIII.

Dat. die 27. Novemb. 1770 Anno II.

Confirmatio facultatis liberandi quotannis unum reum capitali pœna damnatum pro confraternitate sanctæ Mariæ Purificationis nuncupata civitatis Spoletanæ.

### Clemens PP. XIV.

### Ad futuram rei memoriam.

Aliorum Pontificum concessiones memorantur.

§. 1. Dudum felicis recordationis Paulus pp. V. prædecessor Noster tunc et pro tempore existentibus gubernatoribus, guardianis, et confratribus confraternitatis sanctæ Mariæ Purificationis nuncupatæ civitatis Nostræ, tunc suæ Spoletanæ facultatem liberandi unum reum non tamen in carceribus constitutum, et capitali pœna (nonnullis ex-

ceptis delictis) damnatum sub certis modo, et forma tunc expressis concessit, et indulsit, et alias prout in ejusdem Pauli prædecessoris in simili forma Brevis die xi. augusti MDCXII. expeditis literis, quarum tenor est, qui sequitur videlicet.

Tenor literarum Pauli V.

§. 2. Dilectis filiis gubernatoribus, et guardianis, et confratribus confraternitatis sanctæ Mariæ Purificationis Spoletanæ = Paulus papa V. = Dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem. = Confraternitatem vestram piorum operum meritis, quæ in dies exercere consuevit, sicut Nobis nuper exponi fecistis, speciali privilegio decorare, vosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, et pro tempore existentibus ejusdem confraternitatis gubernatoribus, guardianis, et confratribus, ut singulis annis die festo decollationis sancti Joannis Baptistæ, quo processionem solemnem de licentia Ordinarii celebratis, unum reum non tamen in carceribus constitutum, quem petieritis, et a venerabilibus fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus super negotiis status Nostri præpositis obtinueritis, capitali pœna, præterquam criminis hæreseos, læsæ majestatis, falsificationis monetarum, aut literarum apostolicarum, assassinii, aut sacrilegii, nec non homicidii deliberati damnatum liberare, dummodo tamen pacem ab offensis habuerit, libere, et licite valeatis auctoritate apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, et impertimur. Mandantes propterea eisdem nunc, et pro tempore existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus negotiis prædictis præpositis, ut singulis annis in perpetuum vobis unum ex capitali pœna damnatis hujusmodi liberum dimittant, et concedant, ipsumque per vos pro tempore liberatum ab omni pœna capitali eo ipso absolutum, eumque ad patriam, famam, gradus, honores, et bona quæcumque, præterquam fisco incorporata plenarie restitutum, et reintegratum, nec illum super præteritis delictis, et excessibus ulterius molestari, vel perturbari posse decernimus, et declaramus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Marcum die xi. augusti MDCXII. pontificatus Nostri anno octavo. = S. Cobellutius.

Preces porrectæ pro confirmatione concessionis.

§. 3. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii, moderni gubernator, custodes, et confratres dictæ confraternitatis sanctæ Mariæ Purificationis civitatis Spoletanæ hujusmodi, ipsi memoratas ejusdem Pauli prædecessoris literas per Nos approbari, et confirmari, easque ad reum quoque in carceribus constitutum extendi, et ampliari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulgetur juxta preces.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas ipsius Pauli prædecessoris literas una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illasque exequendas, et observandas esse præcipimus, et mandamus. Ac præterea eisdem nunc, et pro tempore existentibus gubernatori, custodibus, et confratribus dictæ confraternitatis, ut anno quolibet die festo decollationis sancti Joannis Baptistæ unum reum etiam in carceribus constitutum a tribunali tamen dictæ civitatis damnatum, quem petierit, et a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium super consultationibus communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici obtinuerint, dummodo supradicta crimina hæreseos, læsæ majestatis, falsificationis monetarum, aut literarum apostolicarum, assassinii, aut sacrilegii, homicidii deliberati reus hujusmodi minime patraverit, et pacem ab offensis obtinuerit, perpetuo liberare possint, et valeant facultatem concedimus, et indulgemus, atque ad reum, sic, ut præfertur, in carceribus constitutum præfatas ipsius Pauli prædecessoris literas auctoritate, et tenore prædictis ex-

tendimus, et ampliamus; eumdem reum liberum a prædicta congregatione cardinalium dimittendum, et ipsis fratribus concedendum esse, ac eum ab omni pœna capitali absolutum, et ad patriam, famam, gradus, honores, et bona in omnibus, et per omnia juxta earum literarum formam, et tenorem restitutum, et reintegratum esse decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ idem Paulus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 27 Novemb. 1770. Anno II.

## XCIX.

Regularibus canonicis ordinis sancti Augustini nostræ dominæ nuncupatæ monasterii villæ Versaliarum Parisiensis diœcesis tribuitur facultas celebrandi festum beatæ Joannæ Valesiæ cum missa, et officio, ac plenaria indulgentia.

### Clemens PP. XIV.

### Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ canonissæ regulares ordinis sancti Augustini Nostræ dominæ nuncupatæ monasterii villæ Versaliarum diœcesis Parisiensis, quod ipsæ festum beatæ Joannæ Valesiæ jam francorum reginæ, cum officio, et missa ejusdem beatæ a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum die XXIX. martii MDCCLX. pro universo ordine monialium sanctissimæ annunciationis beatæ Mariæ virginis approbatum celebrare posse pro earum devotione plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio gratiæ.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem nunc, et pro tempore existentibus canonissis regularibus ordinis sancti Augustini Nostræ dominæ nuncupatæ dicti monasterii villæ Versaliarum Parisiensis diœcesis, ut ipsæ in posterum singulis annis die IV. februarii festum ejusdem beatæ Joannæ Valesiæ cum officio, et missa ejusdem beatæ a memorata congregatione eorumdem cardinalium, ut præfertur, approbatum libere, et licite celebrare possint, et valeant, auctoritate prædicta, tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Concessio indulgentiarum.

§. 3. Insuper omnibus utriusque sexus christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesiam earumdem canonissarum die IV. februarii prædicta a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima novembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 11. Decemb. 1770. Anno II.

C.

Prohibetur sub pœna excomunicationis, ne eleemosynæ oblatæ beato Sanctes Urbinati in alios usus præter prosecutionem causæ suæ canonizationis convertantur, cum nonnullis aliis provisionibus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Maria de Montejano sacerdos, et frater expresse professus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum provinciæ Marchiæ, atque postulator causæ beatificationis, et canonizationis servi Dei Sanctes Urbinatis ejusdem ordinis jam professoris, cujus cultus nuper ex decreto a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum edito, et per Nos confirmato approbatus fuit, quod eleemosynæ ex pietate christifidelium confluentium ad ecclesiam ejusdem ordinis terræ montis Barocci Pisaurensis diœcesis, in qua corpus beati Sanctes prædicti, ut pie creditur, asservatur, ac præsertim a dilectis filiis communitate, et hominibus dictæ terræ, qui eum in protectorem habent, atque a confraternitatibus montis Fabrorum Urbinatensis diœcesis, ubi ipse ortus fuit, in illius honorem offeruntur. Ipse vero Joseph Maria, ut eleemosynæ hujusmodi in expensas tantum causæ ejus canonizationis, non autem in alios usus in primis convertantur, opportune a Nobis provideri, et ut infra, indulgeri plurimum desiderat.

Concessio gratiæ.

§. 2. Nos igitur ipsius Josephi Mariæ votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque da causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito super præmissis dilecto filio moderno ministro generali dicti ordinis, ut deinceps syndici, substituti, guardiani memorati conventus, aliique quacumque superioritate, et potestate fungentes, vel functuri, ut eleemosynas, et donaria per christifideles, ut præfertur, oblata, vel in posterum offerenda in alios usus, quam in expensas prosecutionis causæ canonizationis prædictæ convertant, et erogent, seu ut convertantur, et erogentur permittere audeant, seu præsumant, sub excommunicationis a qua nemo a quoquam, nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium valeat obtinere, ac quoad regulares privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes ipso facto incurrendis absque ulla declaratione, auctoritate apostolica, tenore præsentium interdicimus, et prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

Præscriptiones peculiares.

§. 4. Volumus autem, ut dictus Joseph Maria postulator ejusdem causæ, et custos, et sacrista quoque sit depositi, et cappellæ ejusdem beati in posterum construendæ cum dependentia tamen quoad officia hujusmodi a solo pro tempore existente ministro provinciali dictæ provinciæ, ac insuper mandamus, ut ab eodem ministro provinciali suis literis patentibus nuncupatis deputari debeat persona fide, et facultatibus idonea, quæ juxta instructionem, ac directionem ejusdem Josephi Mariæ, et pro tempore existentis postulatoris, et custodis a definitorio provinciali dictæ provinciæ eligendi easdem eleemosynas accipere, et custodire, ac in expensas causæ hujusmodi erogare teneatur, ita ut in libro peculiari ad id conficiendo introitus, ac exitus describatur, et provinciales dictæ provinciæ in visitationibus per eos fieri solitis redditionem rationis a depositario, custode, et sacrista prædictis omnino exigant. Præterea in casu, quo dictæ eleemosynæ in prosequenda causa canonizationis hujusmodi erogari non possent, eas primum in constructione cappellæ, et altaris in dicta ecclesia ubi corpus prædictum nunc requiescit, sub directione custodis, et sacristæ hujusmodi, et approbatione definitorii prædicti peragendam; altari vero, et cappella prædictis absolutis, ac congrue ornatis, dictas eleemosynas aut in emptionem supellectilium sacrarii ejusdem ecclesiæ aut in communes indigentias singulorum fratrum dicti conventus erogandas esse præcipimus, et jubemus, ac etiam volumus, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ ecclesiæ, seu cappellæ, aut illius sacristiæ, vel alio publico loco, ubi ab omnibus cerni, et legi possit affixum as-

sidue remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die undecima decembris millesimo septingentesimo septuagesimo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 9. januarii 1771. Anno II.

## CI.

**Erectio tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia loci de Ycod Canariensis diœcesis confirmatur.**

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Origo ordinis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ferdinandus Josephus Hurtado du Mendoza modernus minister tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati loci de Ycod in insula de Tenerife Canariensis diœcesis, quod alias, anno nempe MDCXLI. a quondam Blasio Arias fratre expresse professo ordinis minorum sancti Francisci prædicti de Observantia Recollectorum nuncupatorum, ac tunc temporis ministro provinciali provinciæ sancti Didaci ejusdem ordinis canonice erectus fuit tertius ordo prædictus, ad id accedente Ordinarii loci licentia, seu facultate in ecclesia conventus Spiritus Sancti ejusdem loci de Ycod, et usque tunc christifideles seculares tertio huic ordini nomen dare cœperunt, ac ad habitum per fratres, seu tertiarios dicti tertii ordinis gestari solitum admissi fuerunt, ac novitiatu peracto, professionem per eosdem juxta constitutiones pro dicto tertio ordine præscriptas emitti consuetam emiserunt, simulque se congregarunt, ac pia, ecclesiasticaque charitatis, et pietatis opera per tertiarios hujusmodi exerceri solita exercuerunt.

Vicissitudines quibus ordo subjecit.

§. 2. Quamvis autem erectio hujusmodi in sui primordio omni tranquillitate, et concordia gavisa fuerit, progressu tamen temporis nonnulli dubium excitare cœperunt, quod erectio hujusmodi sola auctoritate memorati Blasii ministri provincialis rite, ac recte peracta minime affirmari posset, dum ministri generalis ejusdem ordinis auctoritas in dicta erectione requirebatur, sed dubio hujusmodi proposito tam ministro provinciali ejusdem provinciæ, quam de anno MDCCLVI. illius definitorio provinciali, omnes pro validitate sic factarum erectionum responderunt. Ut igitur in posterum nulla unquam amplius oriri possit quoad validitatem hujusmodi dubitatio, idem Ferdinandus Josephus prædictam erectionem per Nos approbari, et confirmari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio ordinis.

§. 3. Nos itaque ipsum Ferdinandum Josephum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatam erectionem tertii ordinis hujusmodi in ecclesia conventus Spiritus Sancti a dicto Blasio ministro provinciali anno MDCXLI. in loco de Ycod, ut præfertur, factam, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique apostolicæ inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus, eumdemque tertium ordinem pro rite, ac legitime ibidem erecto haberi volumus, et mandamus.

Communicatio privilegiorum, et indulgentiarum.

§. 4. Præterea dilectis filiis tertiariis secularibus ejusdem tertii ordinis sic erecti nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi juxta constitutiones tertii ordinis hujusmodi omnibus gratiis, indulgentiis, privilegiis, juribus, antelationibus, et præeminentiis, quibus alii tertiarii seculares dicti tertii ordinis, ac præsertim illi provinciæ Canariensis vigore aliarum in simili forma Brevis felicis recordationis Benedicti papæ XIV. prædecessoris Nostri die xxviii. augusti MDCCLVI. expeditarum literarum utuntur, fruuntur, et gaudent, pari modo uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die nona januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 15. januarii 1771. Anno II.

## CII.

Præscriptio requisitorum in iis qui sint admittendi inter consiliarios civitatis Camerinensis.

Clemens PP. XIV:

Ad perpetuam rei memoriam.

Resolutiones consiliares civitatis Camerini pro regulando ordine servando in admissione consiliariorum.

§. 1. In supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti ad ea propensis studiis intendimus, per quæ civitatum temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis decor conservetur, et amplietur, illarumque hominum, et incolarum status quiete, ac pacifice dirigatur. Cum itaque sicut nuper accepimus, in civitate Nostra Camerinensi plures familiæ nobiles primo ordini illius nobilitatis adscriptæ vel jam extinctæ essent, vel earum extinctioni proximæ reperirentur, hinc in ejusdem civitatis consilio habito die xxx. augusti MDCCLXIX præelecti, seu deputati fuerunt dilecti filii marchiones Alexander Bandini, et Patritius Savini nobiles dictæ civitatis, tributa ipsis amplissima facultate, qua possent ejusdem ordinis conservationi, et decori recte, prudenterque consulere.

Providentiæ captæ ab sacra congregatione Boni regiminis

§. 2. Prædicti autem Alexander, et Patritius supplices porrexerunt preces congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus civitatum, terrarum, et locorum status Nostri ecclesiastici præpositorum pro obtinenda reductione numeri sexaginta familiarum, quæ idem consilium modo constituunt, ad quinquaginta, et unam dumtaxat familias; eadem vero congregatio, audita prius super præmissis relatione dilecti filii moderni ejusdem civitatis gubernatoris die xxxi. martii superioris anni MDCCLXX. suis literis ad ipsum gubernatorem conscriptis mandavit, ut numerus sexaginta familiarum hujusmodi ad quinquaginta, et unam ex dictis familiis, comprehensis quoque exteris, et minime in eadem civitate habitantibus familiis jam admissis, esset cohibendus, ita tamen, ut reductio numeri hujusmodi locum sibi vindicare deberet in casu extinctionis earumdem familiarum, quæ in dies contingere posset, ac præscripta intelligerentur ad eum tantummodo finem, et effectum, ut scilicet numerus familiarum in consiliariorum ordinem admissarum minor quinquaginta, et unius familiæ esse nequiret, comprehensis, ut præfertur, dictis exteris familiis jam adscriptis, non tamen, ut ex numeri hujusmodi diminutione præpedita esset admissio etiam in majori numero illarum familiarum, quæ civicæ forent, et in eadem civitate habitantes postulassent admissionem ad consilium hujusmodi, quoties ipsæ congrua, atque ad id sufficientia requisita habere ostendissent.

Neglexit tamen declarare, quæ essent requisita necessaria pro obtinenda admissione.

§. 3. Cum autem eadem congregatio tunc noluerit declarare, quæ esse debeant requisita ad præmissa necessaria, sed id suis loco, et tempore, ac in casu, quo quisque a gravamine denegatæ per dictum consilium admissionis recursum habuisset, sibi judicandum reliquerit, deindeque alter, et secundus ordo collanistarum vulgo nuncupatarum ipsius civitatis facultatem jura sua deducendi in memorata congregatione petierit, et ab ea obtinuerit.

Civitatis Camerini laudes, et privilegia.

§. 4. Nos itaque, qui civitatem prædictam, ex qua plures viri pietate, doctrina, ac egregie functis muneribus illustres prodierunt, pontificiæ Nostræ benignitatis et charitatis testimoniis quam maxime complecti cupimus, tranquillitati, quieti, ac insimul decori ejus civium, et incolarum providere, ac quarumcumque litium, et controversiarum semina inter ipsos penitus dirimere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine per præsentes præcipimus, et mandamus, ut quemadmodum antea ita et in posterum consilium prædictum sua originaria libertate fruatur admittendi tam proprios cives, quam exteros cujuscumque generis ipsi sint, et sive in civitate prædicta habitent, sive non, quos propter eorum merita, sive beneficia in ipsam civitatem collata, seu etiam ob dignitates, divitias, aliasque earum qualitates idem consilium admissione hujusmodi dignos esse judicaverit.

Præfiniuntur requisita exhibenda ab eis, qui in consilium admitti postulant.

§. 5. Ita tamen, ut si de personali tantum agatur admissione illius, quem tamquam aliqua ex dictis qualitatibus præditum idem consilium admittendum esse censuerit, nulla ulterior aliorum requisitorum per præsentes, ut infra, præscribendorum probatio requiratur. Sin autem ejus quoque familiæ et successorum perpetua in consilium hujusmodi fieri velit admissio, vel civitatis ejusdem cives, et collanistæ prædicti, aliique exteri in ea domum instructam habentes admissionem ad idem consilium petierint, hancque obtinere minime valeant, nisi sequentibus requisitis familias, cives, collanistas, ac exteros hujusmodi præditos esse plene constiterit, quod nempe unusquisque ex petentibus admissionem hanc ex latere sive paterno, sive materno a persona, quæ infamis fuerit minime originem ducat, quodque tres generationes civilitatis habeat, ita ut quoties admissionem prædictam postulans origine camers sit, civilitas hæc ita dimetiri debeat, ut nempe ejus avus inter civitatis ejusdem cives, qui vitam civiliter duxerint, fuerit; pater vero inter dictos collanistas recensitus appareat, et hoc casu nepos in consilium prædictum, et nobilium ordinem adscribi poterit; quatenus vero is, qui admissionem petat, exterus fuerit; licet domum in præfata civitate jam instructam habeat, vel probare teneatur, quod ejus familia primos gradus honoris per tres similes generationes obtinuerit in propria patria, quoties tamen res sit de civitatibus, aut oppidis conspicuis per gubernatorem a memorata congregatione eorumdem cardinalium deputatum regi consuetis, vel postquam ipse postulans patrem suum inter dictos collanistas recensitum jam habuerit, eo defuncto, filius inter nobiles in consilio prædicto cooptari pariter poterit. In omnibus vero sive camertes sint, sive exteri in civitate hujusmodi etiam commorantes, qui eorum quoque familiarum admissionem ad consilium prædictum petant, id unum præcipue requirimus, quod nempe unusquisque ex illis, qui eam postulet, possessionem bonorum, seu capitalium in summa decem millium scutorum monetæ, quæ ab ære alieno immunia sint, et fructus reddant probare omnino debeat. His autem concurrentibus requisitis, eisque formiter probatis, nunquam a consilio prædicto admissionem hujusmodi, petentibus, licet etiam in posterum numerus consiliariorum certus, ac præfixus statui contingat, denegandam esse volumus, atque decernimus, sed ipsos in dictum consilium adscribendos esse præcipimus, et jubemus, eosque sic admissos, et aggregatos ad omnes civiles effectus pro nobilibus haberi motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus statuimus, atque ordinamus.

Plena constitutionis observantia præcipitur.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod omnes et singuli supradicti, ac alii quicumque cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, et dignitatis in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, seu auditi fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, privilegiata et rationabili, ac etiam tali, quæ ad validitatem præmissorum exprimenda foret causa, et occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso, et capite etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, et formali, aut inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcum-

que juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque, et quomodocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari.

Demitur cuique judici potestas quidquid decernendi contra literarum tenorem

§. 7. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et alios quoscumque quavis auctoritate, et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quàvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, necnon felicis recordationis Benedicti pp. XIV. predecessoris Nostri in simili forma Brevis quoad eorumdem consiliariorum civitatis Camerinensis hujusmodi numerum expeditis literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisve quibuslibet decretis, statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, ac indultis, et literis apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes expressio habenda, et servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima quinta januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## CIII.

Datum die 26. januarii 1771. Anno II.

Facultas eligendi unum ex fratribus magnæ crucis hospitalis Hierosolymitani in loco personæ ecclesiasticæ, ad conferendos gradus in universitate Melevitana.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Collegiorum, et universitatum institutiones laudantur, et præcipue commendatur illud civitatis Vallettæ apostolica auctoritate institutum cum suis privilegiis.

§. 1. Maxima utilitas, quæ ex collegiorum, ac universitatum institutione procedit merito postulat, atque exigit, ut in iis, quæ earum decorem, splendoremque respiciant apostolicæ auctoritatis Nostræ partes libenti animo interponamus. Cum itaque Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die vicesima octobris MDCCLXIX. expeditas literas collegium, quod dilectus filius frater Emmanuel Pinto magnus magister hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani pro educatione tam fratrum cappellanorum clericorum, seu diaconorum conventualium ipsius hospitalis, quam etiam adolescentium, qui ibidem studiis operam dare vellent, in oppido civitate nuncupata Valletta diœcesis Melevitanæ erigere, unamque in eo studiorum generalium universitatem constituere decreverat, apostolica auctoritate confirmavimus, et approbavimus; eidemque universitati privilegia, et indulta studiorum generalium concesserimus, ac præ cæteris uni personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, et in conficiendis legibus, ac regulis collegii, et universitatis hujusmodi designandæ facultatem eos, qui ibidem per debitum tempus studiis operam dedissent, ac prævio examine, scientia, et moribus idonei reperti essent ad baccalaureati, licentiaturæ, doctoratus, et ma-

gisterii gradus sub certis modo, et forma tunc expressis promovendi elargiti fuerimus, et alias prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Preces porrectæ pro novo speciali privilegio.

§. 2. Nuper vero idem Emmanuel magnus magister Nobis exponi fecit, quod major utilitas, maximumque decus in universitatem hujusmodi obventura essent, quoties in locum personæ prædictæ aliquis frater magnæ crucis ejusdem hospitalis, qui inter dilectos filios consilii hospitalis hujusmodi locum obtineat, eligi, et assumi valeret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur gratia veluti in summa Brevis.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut aliquis ex fratribus magnæ crucis dicti hospitalis, licet clericali charactere minime insignitus in locum prædictæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, ad officium hujusmodi cum omnibus facultatibus eidem personæ per memoratas Nostras literas, ut præfertur, concessis libere, ac licite eligi, et assumi possit, ac valeat, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Volumus autem, ut tam is, qui ad præfatum officium assumptus, electusque erit, antequam officium idem exercere incipiat, quam ii omnes ab eo ad gradus prædictos promovendi, priusquam gradus ejusmodi consequantur fidei professionem servatis omnibus a sanctæ memoriæ Pio pp. V. prædecessore Nostro in suis sub plumbo idibus novembris anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto expeditis literis ordinatis, atque præscriptis emittere teneantur in manibus dilecti filii nunc, et pro tempore existentis inquisitoris Melevitani, qui in iis rebus, quæ catholicam fidem, et morum doctrinam attingunt, liberam inquirendi, et cognoscendi facultatem reservatam omnino, sicut in memoratis Nostris literis continetur, esse volumus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri anno secundo.

---

## CIV.

Datum die 26. januarii 1771. Anno II.

Declaratur, quod causæ spectantes ad beneficia, et bona collegii Melevitanensis pertineant ad tribunalia hospitalis Hierosolymitani.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur quæ fuerint disposita favore hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

§. 1. Dudum Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die vicesima octobris MDCCLXIX. expeditas literas collegium, quod dilectus filius frater Emmanuel Pinto magnus magister hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani pro educatione fratrum cappellanorum clericorum, seu diaconorum conventualium ipsius hospitalis, atque adolescentium, qui ibidem studiis operam dare vellent in oppido civitate nuncupata Valletta Melevitanæ diœcesis erigere decreverat, ac simul unam in eo studiorum generalium universitatem instituendam auctoritate apostolica sub certis modo, et forma tunc expressis confirmavimus, et approbavimus, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectæ pro obtinenda jurisdictione privativa, favore tribunalium hospitalis.

§. 2. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecit idem Emmanuel magnus magister, collegium prædictum nonnulla beneficia ecclesiastica ei, ut asseritur, canonice unita, aliaque bona ecclesiastica modo possideat, hinc ut quietius, ac ferventius bonis artibus,

studiisque in collegio hujusmodi existentes, illique præsidentes operam dare valeant, causas omnes super bonis, et beneficiis prædictis nunc a dicto collegio, ut præfertur, possessis a quibusvis universitatibus, communitatibus, et personis, quæ quodcumque, et qualecumque jus, sive actionem habere, et ad se pertinere quoquo modo contendant, sive usque adhuc promotas, sive in posterum quandocumque promovendas in tribunalibus ejusdem hospitalis privative cognoscendas, et juris ordine servato juxta prædicti hospitalis statuta, ac leges, eisdemque modo, et forma, quibus aliæ causæ respicientes omnia alia bona hospitalis hujusmodi gradatim tractantur ac definiuntur, exceptis tantummodo causis jam promotis, ac in tribunali Nostræ romanæ curiæ nunc pendentibus, tractandas, ac definiendas esse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur privativa jurisdictio exercenda juxta statutorum formam.

§. 3. Nos igitur ipsum Emmanuelem magnum magistrum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum causæ omnes, quæ dicta beneficia, et bona collegii hujusmodi quovis modo respiciant, et a quibusvis sive universitatibus, sive communitatibus, aliisque omnibus personis cujusvis ordinis, et dignitatis existant, ac etiamsi speciali, et individua mentione dignæ, sive adhuc promotæ, et pendentes, sive futuris temporibus promovendæ in dictis tribunalibus ejusdem hospitalis servato juris ordine, et gradatim juxta statuta, ac leges dicti hospitalis agnoscendæ, decidendæ, et definiendæ sint, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, et ordinamus.

Excluduntur causæ ad romanam curiam exclusive pertinentes.

§. 4. Volumus autem, ac omnino decernimus, quod causæ omnes, quæ tam usque adhuc promotæ sunt, ac modo in tribunalibus dictæ curiæ Nostræ romanæ pendentes reperiuntur, præcipue vero causa, seu lis inter dilectos filios capitulum, et canonicos cathedralis ecclesiæ Melevitanæ ex una, ejusque seminarium ex altera partibus jam coram congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum promota, et actu existens, quam etiam aliæ quæcumque omnes, ac singulæ causæ, sive lites juxta sacrorum canonum, conciliorum, et constitutionum apostolicarum dispositionem ad prædicta tribunalia ejusdem romanæ curiæ privative spectantes, et pertinentes in eisdem tribunalibus tantummodo cognosci, definiri, ac terminari omnino debeant. Cæterum etiam in iis causis, quarum cognitio, et definitio tribunalibus dicti hospitalis per præsentes commissa, et demandata fuit, illi ex partibus, quæ in judicio succumbuerit, salvam, ac omnino liberam semper esse facultatem appellandi, ac recurrendi ad apostolicam hanc sanctam Sedem, illiusque romanæ curiæ tribunalia, volumus, atque statuimus, ut ita an et quando juxta sacrorum canonum, et conciliorum, ac constitutionum apostolicarum dispositionem, nec non dicti hospitalis statuta, ac leges causæ hujusmodi ad tribunalia ejusdem romanæ curiæ devolvendæ sint, aut devolutæ intelligi debeant, in eis dignosci, ac definiri possit, et valeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus, super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Datum die 30. januarii 1771. Anno II.

## CV.

Præcipitur dignitatibus, et canonicis, aliisque de clero cathedralis, aliarumque ecclesiarum diœcesis Civitatensis, ut feria v. majoris hebdomadæ privatas missas celebrent, sed omnes sanctissimum eucharistiæ sacramentum sumant de manu celebrantis missam conventualem.

**Clemens PP. XIV.**

Ad futuram rei memoria.

Proemium, et causa constitutionis.

§. 1. Pastoralis romani Pontificis vigilantia ad omnes christifideles paterna charitate sese extendit, omnemque curam, ac studium adhibet, ut ubique ecclesiasticæ disciplinæ nitor, mores ritusque ecclesiæ sarta, tectaque serventur, et religiose custodiantur. Cum itaque sicut nuper accepimus, licet canonici, et omnes de clero in feria quinta majoris hebdomadæ sanctissimum eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis missam conventualem nuncupatam celebrantis sumere teneantur, idque tam concilium Compostellanum anno MDLXV. celebratum, et a sa: me: Pio pp. V. prædecessore Nostro confirmatum præscripserit, quam congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum die xxvii septembris MDCVIII. in una Civitatensis peragendum esse decreverit, atque hoc pariter dispositum reperiatur in cærimoniali episcoporum, quod felicis recordationis Innocentius pp. XIII. itidem prædecessor Noster per alias suas in simili forma Brevis die xiii. martii MDCCXXIII. expeditas literas in regnis præsertim Hispaniarum observandum, et exequendum esse constituit, ac alias prout in eisdem suis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. His tamen omnibus posthabitis capitulum, et canonici cathedralis ecclesiæ Civitatensis in feria v. majoris hebdomadæ prædictæ missas privatas celebrare posse, ac sanctissimum eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis celebrantis missam conventualem ipsos sumere minime debere contendebant.

Providentia capta ab episcopo.

§. 2. Qua de re venerabilis frater Cajetanus Antonius episcopus Civitatensis statim ac in ejusdem ecclesiæ pastorem præfectus fuit vigilantia, ac solicitudine quidem pastorali primum capitulum, et canonicos prædictos semel ac iterum super præmissis monitos reddidit, postmodum vero suo generali edicto die iv. aprilis MDCCLXX. in tota diœcesi Civitatensi publicato mandavit, ne missæ privatæ feria quinta majoris hebdomadæ celebrandæ essent, sed omnes de clero sanctissimum eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis celebrantis missam conventualem sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ sumere tenerentur.

Episcopi decretum confirmatur, et illius plena observantia præcipitur.

§. 3. Nos igitur ipsius Cajetani Antonii episcopi zelum, pietatem, et in sacris Ecclesiæ ritibus conservandis curam, atque diligentiam plurimum in Domino commendantes, omnibus, et singulis dignitatibus canonicis, aliisque de clero tam cathedralis ecclesiæ Civitatensis, quam aliarum ecclesiarum civitatis, et diœcesis Civitatensis virtute sanctæ obedientiæ sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis auctoritate apostolica tenore præsentium præcipimus, et mandamus, ne ipsi privatas missas in feria quinta majoris hebdomadæ prædictæ celebrare audeant, seu præsumant, sed omnes juxta ritum ecclesiæ prædictæ sanctissimum eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis missam conventualem celebrantis eadem die sumere omnino debeant, ac teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non capituli, et ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet

concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 30. januarii 1771. Anno II.

## CVI.

Confirmatur concordia inter familiam de Groote, et rectorem ecclesiæ parochialis sancti Joannis Baptistæ civitatis Coloniensis inita super facultatibus ecclesiasticis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio status quæstionum subortarum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii nunc existentes de perillustri familia de Groote moderni, ut asserunt, patroni ecclesiæ sancti Gregorii Magni, seu coemeterii communis siti intra limites parochialis ecclesiæ sancti Joannis Baptistæ Coloniensis civitatis, ac dilectus itidem filius Petrus Daniels rector pastor nuncupatus ejusdem ecclesiæ parochialis, quod ad removendas, ac penitus tollendas quascumque quæstiones, controversias, et difficultates inter ipsos exponentes quoad divina officia, funera, ac jus sepeliendi, aliasque functiones ecclesiasticas motas, et excitatas, ac ne in posterum ab eisdem exponentibus, eorumque successoribus illæ promoveantur, et excitentur, pro bono, ac desiderio pacis de unanimi omnium consensu exponentes prædicti devenerunt ad concordiam sub certis pactis, et conditionibus initam, atque a dilecto quoque filio vicario generali venerabilis fratris Maximiliani Friderici archiepiscopi Coloniensis S. R. I. principis electoris approbatam, et confirmatam; cujus quidem concordiæ, ejusque approbationis prædictæ tenor est qui sequitur nempe.

Transactio inita quoad singula capita quæstionum.

§. 2. Ad quæstiones, et difficultates omnes, quæ super juribus a domino pastore ecclesiæ parochialis ad sanctum Joannem Baptistam in ecclesia sancti Gregorii Magni, seu cœmeterio communi intra parochiæ suæ limites sito, jam tum motæ fuerunt, ac in posterum a successoribus moveri possunt, semel pro semper amputandas, illum intra ac dominos patronos ecclesiæ secundodictæ unanimi consensu statutum, ac dispositum fuit.

Exercitium omnium divinorum officiorum rectoribus relinquitur.

§. 3. Ut omne jus, et exercitium quoad universa divina officia in ecclesia sancti Gregorii Magni per rectorem, ac chorum servanda penes laudatos dominos patronos quemadmodum hactenus fuit, ita independenter a domino pastore in posterum permaneat.

Item jus funeris, et tumulandi, soluta pastori oblatione.

§. 4. Ut si funus in eadem ecclesia, seu cœmeterio tumulandum sit officium funebre ad solum rectorem ejusdem spectet, nihilominus loco portionis canonicæ, quæ pro dominis pastoribus aliarum parochiarum ex more hujus civitatis est medietas oblatorum, et cereorum circum funus ponendorum, domino pastori sancti Joannis Baptistæ duas tertias dictorum cereorum, et oblatorum pendat.

Peculiares dispositiones circa sepulturam defunctorum in hospitale.

§. 5. Ut pauperes hospitale ad latam januam nuncupatum incolentes, quos omnes in cœmeterio communi alias semper sepultos fuisse, prohibetur, si sepulturam non elegerint, ad ecclesiam parochialem sancti Joannis Baptistæ sepeliantur, si vero eam in ecclesia sancti Gregorii Magni, seu cœmeterio communi eligere contingeret, funeralia ad eum modum observentur, uti paragrapho antecedente dispositum est.

Rector monitus coemeterium aperiat, ut stationes peragantur in feriis quatuor temporum.

§. 6. Ut dum a choro parochialis ecclesiæ ad sanctum Joannem Baptistam in feriis quatuor temporum statio ab immemorabili tempore consueta in cœmeterio communi servanda erit, id pridie domino rectori ecclesiæ sancti Gregorii Magni eum in finem notificetur, ut januam coemeterii statuta hora aperiri faciat.

Decretum pro confirmatione concordiæ impetranda.

§. 7. Pro majori firmitate, ac robore præsentem conventionem, ac dispositionem domini patroni ecclesiæ sancti Gregorii, ac dominus pastor ad sanctum Joannem Baptistam propriis manibus subscripserunt, et sigillis suis obsignarunt, insuper confirmationem reverendissimi domini vicarii generalis decenter requirere decreverunt. Coloniæ 19 octobris 1771.

Loco ✠ Signi = E. A. F. B. de Groote.

Loco ✠ Signi = Jacob de Groote.

Loco ✠ Signi = F. Petrus Daniels pastor ad sanctum Joannem Baptistam.

Confirmatio emissa ab archiepiscopo Coloniensi.

§. 8. Joannes Philippus de Horn = goldschmit juris utriusque doctor r̃mi, et em̃i archiepiscopi, ac principis electoris Coloniensis, domini Nostri clementissimi, domini Maximiliani Friderici etc. in spiritualibus per civitatem, et archidioecesim Coloniensem vicarius generalis, et consiliarius ecclesiasticus intimus, et metropolitanæ electoralis ecclesiæ Coloniensis, et equestris collegiatæ in Wympfen canonicus capitularis etc. etc.

Attento, quod perillustris familia de Grootiana plurimis fundationibus de ecclesiis Coloniensibus tantopere merita sit, suprascriptam concordiam inter patronos ecclesiæ sancti Gregorii Magni, seu cœmeterii communis ex una, et pastorem sancti Joannis Baptistæ ex altera partibus initam pro tollenda respective, et prævertenda occasione cujuscumque dissidii, et contentionis circa officium divinum primodictæ ecclesiæ, stationes in eadem a choro parochialis secundodictæ in feriis quatuor temporum servandas, funeralia, aliaque jura parochialia inter utriusque ecclesiæ rectores annis retroactis non semel exortæ, auctoritate archiepiscopali ordinaria, qua fungimur, ratificamus, approbamus, et confirmamus, necnon perpetuæ firmitatis robore communimus, decernentes eamdem juxta tenorem ordinationis mutuo hinc inde partium consensu sancitæ, nunc, et in antea perpetuis futuris temporibus ad strictos apices inviolate, et sine cujusvis contradictione fore, et esse observandam. In fidem præsentes manu propria signatas, officii nostri sigillo majori muniri jussimus. Coloniæ, 10. novembris 1771.

Loco ✠ signi.

J. P. de Horn-goldschmit vicarius generalis.

M. F. Leinen Plus in spiritualibus 1771.

Pro copia cum vero suo originali collactionata et omnino concordante subscripsi, et subsignavi ego Joannes Fridericus Schulten notarius apostolicus publicus.

Preces porrectæ pro apostolica confirmatione, quæ indulgetur.

§. 9. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo firmius concordia hujusmodi subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati præinsertam concordiam cum omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, eique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die trigesima januarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## CVII.

Datum die 5. februarii 1771 Anno II.

Translatio directi dominii monasterii de Frigionaria congregationis canonicorum regularium Lateranensium alias uniti procuræ generali almæ urbis in monasterium sancti Frigdiani ejusdem congregationis civitatis Lucanæ.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam

Status paupertatis nosocomii Misericordiæ exponitur, opportunumque expostulatur remedium ne in extremam incidat calamitatem.

§. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum antianorum, et vexilliferi reipublicæ Lucanæ Nobis exposito, quod publicum nosocomium Misericordiæ nuncupatum civitatis Lucanæ iis angustiis urgebatur, et premebatur, ut cum redditus deficerent, sumptusque in dies magis augerentur, ab

extrema calamitate proxima abesse videretur, et in eadem expositione subjuncto, quod nonnullus excogitari poterat modus, quod aliquod subsidium, auxiliumque dicto nosocomio suppeditari valeret. In agro autem Lucano extabat monasterium canonicorum regularium ordinis sancti Augustini congregationis Lateranensis de Frigionaria nuncupatum redditibus satis abundans, ex quo licet antiquis temporibus plures viri doctrina, ac morum integritate illustres prodiissent, modo vero mira eorumdem canonicorum paucitate fere in solitudinem redactum videbatur; qua de re opem nosocomio prædicto, quam aliunde comparare posse minime sperandum erat, ex redditibus monasterii hujusmodi dicti exponentes per Nos concedi plurimum desiderabant.

Consulit Pontifex motu proprio constituto annuo canone scutorum centum viginti.

§. 2. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, motu etiam proprio dictum monasterium procuræ generali eorumdem canonicorum regularium almæ Nostræ urbis apostolica auctoritate univimus, et incorporavimus, ac procuratorem generalem pro tempore existentem ejusdem congregationis in abbatem, dominumque directum ejusdem monasterii constituimus, et declaravimus, ac præterea ipsius monasterii bona omnia, jura, et actiones pro canone scutorum centum viginti monetæ romanæ quotannis dictæ procuræ generali in signum directi dominii solvendo eidem nosocomio Misericordiæ civitatis Lucanæ sub certis modo, et forma tunc expressis in emphyteusim perpetuam concessimus, et assignavimus, ac alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis die XXVII. novembris anni MDCCLXX. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectæ pro translatione dominii directi conventus uniti, in congregationem canonicorum regularium.

§. 3. Nuper vero exponi Nobis fecerunt dilecti filii moderni procurator generalis dictæ congregationis, ac prior, et capitulum monasterii sancti Frigdiani ejusdem congregationis civitatis Lucanæ, quod cum juxta memoratæ congregationis usus, ac consuetudines abbatiarum tituli, aliæque prærogativæ iis tantum canonicis regularibus conferri soleant, qui ejusdem gentis, seu nationis sunt, ubi ipsa monasteria, seu abbatiæ sitæ reperiuntur, hinc dictus procurator generalis, ut usus, et consuetudines hujusmodi, ac inde inter canonicos regulares suæ congregationis prædictæ pax, et concordia firma perpetuo maneant, præfatum monasterium de Frigionaria, ac directum dominium suorum bonorum, et jurium, ac illius ecclesiæ procuræ generali prædictæ per memoratas Nostras literas unitum, adnexum, et incorporatum una cum annuo canone scutorum centum viginti ab eodem hospitali Misericordiæ civitatis Lucanæ solvendo in congregationem canonicorum regularium Lateranensium hujusmodi, ejusque generale definitorium per Nos transferri, dictique prior, et capitulum aliquem ex canonicis regularibus gentis, seu nationis Lucanæ ab eodem definitorio in abbatem monasterii Frigionariæ eligi debere, annuumque canonem scutorum centum viginti prædictorum eorum monasterio sancti Frigdiani per Nos assignari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget gratiam Pontifex nonnullis præmissis declarationibus, et cauthelis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audito prius super præmissis dilecto filio Camillo Casanova ejusdem congregationis canonicorum regularium Lateranensium abbate generali, ac firma et in suo robore manente perpetua emphyteutica concessione bonorum omnium, jurium, et actionum præfati monasterii Frigionariæ una cum illius ecclesia eidem nosocomio Misericordiæ civitatis Lucanæ per memoratas Nostras literas, ut præfertur, facta, monasterium ipsum Frigionariæ dictæ procuræ generali, ut præfertur, per easdem Nostras literas unitum, annexum, et incorporatum ab eadem procura generali apostolica auctoritate tenore præsentium dividimus, dismembramus, et separamus, illudque in memoratam congregationem, ejusque generale definitorium auctoritate, et tenore prædictis transferimus, dictamque congregationem et ipsius generale definitorium in locum procuræ generalis prædictæ cum omnibus honoribus, et oneribus in omnibus, et per omnia juxta formam, et tenorem prædictarum Nostrarum literarum ponimus, et subrogamus. Annuum vero canonem scutorum centum

viginti, qui a dicto nosocomio in signum directi dominii memoratæ procuræ generali, ut præfertur, persolvendus erat, monasterio sancti Frigdiani prædicto pari auctoritate, et tenore concedimus, et assignamus, ita ut post quam generale definitorium in ejusdem directi dominii signum canonem prædictum exegerit, illum monasterio sancti Frigdiani hujusmodi, seu ejus abbati pro tempore existenti, vel illius legitimo procuratori tradere, et consignare omnino debeat, ac teneatur. Volumus autem, quod idem definitorium in abbatem dicti monasterii Frigionariæ eum eligat ex canonicis dictæ congregationis, quem in Lucana gente, seu natione dignum, ac idoneum ad id esse censuerit. Huic vero pro tempore existenti abbati hujusmodi facultatem confirmandi cappellanum, et custodem ecclesiæ monasterii de Frigionaria prædicti cum congruo stipendio a rectore præfati nosocomii nominandi, ac in die sancti titularis ejusdem ecclesiæ sive per se, sive per alium abbatem dictæ congregationis missam in ea solemniter celebrandi auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Præcipit vero præsentis constitutionis observantiam.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus prædictis Nostris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quinta februarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

## CVIII.

Datum die 5. februarii 1771. Anno II.

Statuta a collegio aromatariorum, seu pharmacopolarum de urbe in parte aucta, et meliorata confirmantur.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pastoris æterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, ea, quæ pro felici universitatum artium præcipue almæ Nostræ urbis, cujus commodis quantum cum Domino possumus in primis providere studemus, regimine prudenter constituta, et præscripta esse comperiuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii consules, seu collegium pharmacopolarum de eadem urbe, quod ipsi pro felici, ac prospero ejusdem collegii regimine, ac gubernio canonice die vi. proxime præteriti mensis januarii congregati quædam nova statuta condiderunt, quorum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Tenor declarationis, et ampliationis statutorum.

§. 2. Propose il signor Antonio Vendetti primo console, che essendosi nella congregazione generale tenuta li 31 agosto 1744. per togliere l'emulazione, e disturbi, che succedevano, fatti alcuni capitoli d'aggiungersi alli statuti, e questi approvati sotto li 5. dicembre detto anno in altra generale congregazione, sopra de'quali se ne ottenne dalla santa memoria di Benedetto XIV. la conferma in forma specifica, come dal Breve di detta conferma spedito sotto li 24. settembre 1746. tra quali fu stabilito, che non possa farsi trasporto di speziaria da un sito all'altro, se dal sito d'onde vuole uno partire, a quello in cui intende andare non vi sia la distanza almeno di cento canne, e che dal suddetto sito ad quem non sia distante la speziaria viciniore almeno canne sessanta, da misurarsi detta distanza per linea retta, e non obliqua, ed anche che niun giovane di speziaria, o matricolato, o non matricolato possa comprare speziaria, e farne il trasporto in quell'istesso rione della città, in cui per più anni sia stato in qualità o di semplice giovane, o di affittuario, o di consocio, o di amministratore, o finalmente d'economo, ma possa bensì comprarla, e trasportarla in

altro rione totalmente distinto, e se mai la speziaria, di cui esce fosse situata nel termine di quel tal rione, e l'altra, che vuole comprare fosse nel principio del rione più vicino, dimodocchè corresse fra ambedue li siti pochissima distanza, in tal caso, si vuole che ne resti affatto proibita sì la compra, che il trasporto, e possa solamente ottenere dell'uno, e dell' altro la permissione, qualunque volta il posto, che desidera, sia distante dall'altro rione per lo spazio almeno di cento cinquanta canne da misurarsi come sopra.

De distantia servanda inter unam aliamque apothecam.

§. 3. Conoscendosi ciò non ostante non essere sufficiente a togliere l'emulazione suddetta la distanza stabilita in detti capitoli per esser questa molto piccola, tanto più, che da quel tempo in poi sono succedute molte riduzioni di speziarie, e ne devono succedere delle altre in adempimento del decreto emanato sotto li 9. dicembre 1720. dalla congregazione particolare deputata dalla sa. mem. di Clemente XI., e dal suddetto sommo Pontefice approvato li otto gennaro 1721.; per le quali li speziali viciniori sono stati, e sono soggetti al più grave peso, e pagamento. Perciò si crede espediente doversi, colla riserva del beneplacito apostolico, stabilire per l'avvenire; che non si possa da qui innanzi da veruno speziale chiedere licenza per trasportare la speziaria, nè quella concedersi, se dal sito, dove vuole fare il trasporto non sia distante la speziaria viciniore almeno canne duecento da misurarsi per linea retta, e non obliqua; che nelli siti, dove sono state ridotte le speziarie, e dove succederanno per l'avvenire le riduzioni non possa trasportarsi veruna speziaria, nè tampoco ne' luoghi vicini a quelli, se dal sito della speziaria ridotta, o da ridursi, al sito dove vuole farsi il trasporto, non vi sia la distanza almeno di canne duecento da misurarsi come sopra; e che niun giovane di speziaria o matricolato, o non matricolato possa comprare speziaria, o farne il trasporto in quello stesso rione della città, in cui per più anni sia stato in qualità o di semplice giovane, o di affittuario, o di consocio, o di amministratore, o di economo; ma possa bensì comprarla, e trasportarla in altro rione totalmente distinto in sito distante dal termine del rione, dove è stato per giovane, o altrimenti come sopra, almeno canne trecento da misurarsi come sopra, e se mai la speziaria da cui esce fosse situata nel termine di quel tal rione, e l'altra, che vuole comprare fosse nel principio del rione più vicino, dimodocchè fra ambedue li siti vi fosse pochissima distanza, in tal caso resti proibita affatto sì la compra, che il trasporto, e possa solamente ottenere dell'uno, e dell'altro la permissione qualunque volta il posto, che desidera, sia distante dal termine del rione, dove è stato per giovane, o altrimenti come sopra, per lo spazio almeno di dette canne trecento, da misurarsi come sopra. E corso sopra di ciò il partito per suffragi segreti furono trovate palle nere favorevoli numero ventiquattro, e niuna bianca contraria: fu a pieni voti vinto il partito, e approvata la riferita proposta.

Preces porrectæ pro confirmatione capitulorum noviter inductorum, quæ conceditur.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes statuta prædicta quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta statuta una cum omnibus, et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausulæ salutares, cum decreto irritante.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ urbis, ac collegii etiam juramento, confirmatione

apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die quinta februarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 11 februarii 1771 Anno II.

## CIX.

Plurimæ parochiales ecclesiæ in Sardiniæ regno contra sacrorum canonum præscripta unitæ dismembrantur.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis per Sardiniæ insulam constitutis.

Clemens Papa XIV.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ mala ab indebita ecclesiarum parochialium unione promanant enumerantur, et improbantur.

§. 1. Delatum vix Nobis fuit, in isto Sardiniæ regno eam ut plurimum in administrandis parochialibus ecclesiis, constituendisque earum rectoribus servari rationem, quæ neque cum sacris canonibus, ac præcipue sacrosanctæ Tridentinæ synodi decretis omnino cohærebat, neque animarum vobis creditarum regimini satis accurate prospiciebat; hujusque rei causam ex eo potissimum dimanare, quod pleræque parochiales ecclesiæ unitæ olim fuerint ecclesiis metropolitanis, et episcopalibus, capitulis, dignitatibus, canonicatibus, collegiis, aliisque piis locis: diu Nobis deliberandum non fuit de apto aliquo, potentique afferendo remedio, quo plurimis, gravissimisque incommodis ex unionibus prædictis proficiscentibus aditus penitus intercluderetur, divinusque cultus, necnon rectus sacramentorum usus qualibet in parochia in pristinum dignitatis, et splendoris gradum revocaretur. Quid vero hac in re ceperimus consilii, quid vobis dederimus in mandatis, aperte significavimus per apostolicas nostras literas ad vos missas sub die vicesima prima septembris anni MCCLXIX. incipien. *Inter multiplices*; quibus obsequenti a vobis animo, prout jam confidebamus, ac certa adducebamur spe, morem fuisse gestum, plenissimeque, quantum ex vobis fuit, satisfactum maxima accepimus voluptate, et gaudio; id præsertim auctoritate sua adjuvante charissimo in Christo filio Nostro Carolo Emmanuele Sardiniæ rege illustri, cujus singularem pietatem, eximium religionis studium, ac insignia in apostolicam hanc Sedem merita debitis efferre laudibus, ac pro dignitate commendare nunquam prætermittemus.

§. 2. Verum etsi mentem nostram in superioribus apostolicis literis clare, aperteque Nos indicasse sentiebamus, planisque verbis remedium rei necessitati omnino accommodatum attulisse; nonnullas tamen ex privatis quibusdam, ac peculiaribus circumstantiis, quæ novissime tantum expositæ Nobis sunt, obortas esse difficultates audivimus, et dubia prædictarum literarum interpretationem spectantia, ad quæ explananda, et de medio penitus tollenda has necesse duximus ad vos iterum mittere literas, ex quibus novo hoc paternæ erga vos dilectionis argumento simul intelligeretis, quo simus erga vos animo, propensaque voluntate, quo ovium vestrarum salutem, quæ ex recta parochorum institutione plurimum pendet, prosequamur studio, qua demum solicitudine teneamur et cura, ut in isto Sardiniæ regno pietate, et religione nulli secundo ecclesiastica disciplina sarta tecta servetur, ac magis, magisque florescat. Dolet Pontifex præcedentes providentias non fuisse executioni commissas.

§. 3. Ac primo quum in superioribus literis decreverimus, ut vicariis perpetuis quarta pars fructuum, et redditSuum parochialis ecclesiæ, cui iidem præficiuntur, pro congrua constituatur: quartam hanc partem computandam declaramus, ac deducendam præcipimus non ex iis tantum parochialis ecclesiæ fructibus, ac redditibus, qui supersunt, subducta parte illa, quæ vel episcopis obvenire consuevit, vel pro ecclesiæ fabrica fuit antiquitus assigna- Quarta fructuum pars ex redditibus ecclesiæ parochialis vicariis reservatur.

ta, vel in alios quoscumque pios usus applicata legitime fuerit; sed ex integris cujusvis parochialis ecclesiæ fructibus, et redditibus, seu ex integro, ut vulgo dicitur, *asse*, parochialium redditnum. Rationem hanc computandi prædictam vicariorum congruam, præterquam quod verba ipsa per se insinuant, loquendique modus, quo usi sumus in præcitatis nostris literis, et quo sæpe usi ante Nos sunt alii prædecessores nostri romani Pontifices, imo et concilii Tridentini patres *Sess. VII. cap. 7. de Reformat.* accedit etiam, mirum in modum cohærere cum veteri ecclesiæ disciplina in bonorum ecclesiasticorum divisione constanter servata, qua factum fuit, ut ad ministros ecclesiæ servitio addictos quarta pertineret pars omnium, et quorumcumque redditunm eamdem ecclesiam spectantium. Hujusmodi disciplinæ testem locupletissimum præ cæteris eligimus sanctum Pontificem Gregorium magnum in epist. ad Augustinum anglorum episcopum lib. 11. indict. 4. epist. 64. nov. edit. = Mos apostolicæ Sedis est, inquit, ordinatis episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet episcopo, et familiæ ejus propter hospitalitatem, et susceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiis reparandis =; et in epist. ad Maximianum episcopum Syracusanum lib. 4. ind. 12. epist. 11. cit. edit. idem sanctus Pontifex disertis præcepit verbis: ut sive de præteritis redditibus, sive de iis, qui jam obvenerunt, vel obvenerint, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur. Ejusdem etiam disciplinæ disertissime meminit Gelasius summus Pontifex in epist. ad clerum, et ordinem, et plebem Brundusii, et in alia ad episcopos per Lucaniam, et Brutios. c. 29., tum etiam Simplicius papa in epist. ad Florentinum, et Equitium, et Severum episcopos.

Alia quarta pars reservatur episcopo, et fabricis ecclesiarum.

§. 4. Quoniam vero secundum prædictam veterem ecclesiæ praxim, quemadmodum clero quarta cedebat redditunm pars; ita et quarta pars accedebat episcopo, et alia item pars quarta ecclesiis reparandis constituebatur. Hinc plane intelligimus, eodem, quo gaudet privilegio quarta pars reddituum vicariis perpetuis in congruam assignata, frui quoque debere quartam partem tum episcopis, tum ecclesiarum fabricis ex antiqua institutione designatam. Quamobrem ne firmissimo huic, vetustissimoque privilegio ullum, vel minimum inferatur detrimentum, sancimus, ac mandamus, ut ad prædictam vicariorum congruam nihil prorsus contribuere teneantur ii episcopi, qui ex parochialibus ecclesiis nonnisi quartam percipiunt decimarum, aliorumve reddituum partem, quæ iisdem ex jure conceditur. Qui vero plusquam partem quartam exigunt, et qui proinde nullo se juris privilegio tueri valent; hos pro rata excessus supra prædictam partem concurrere debere ad statutam a Nobis vicariorum congruam decernimus, ac jubemus.

Præcipitur ut firmis constitutionibus super quarta, servetur quoque privilegium decimatorum

§. 5. Eamdem quoque servari omnino legem volumus quoad eam decimarum partem, quæ ecclesiis restaurandis cedit. Hanc nimirum a prædicto onere exemptam declaramus, si quartam non excedat decimarum, reddituumve partem; secus vero, si eam superet. Quumque perlatum ad Nos sit, a prædecessore nostro Clemente VIII. aliquam decimarum partem ex iis, quæ ad ecclesiarum fabricam pertinebant, decerptam alicubi fuisse, atque in augmentum quotidianarum distributionum capituli cathedralis applicatam: hinc dubitandum haud est, hanc quoque partem in dictum usum erogatam, et conversam participem fore ejusdem privilegii, quo donatur pars integra, ex qua desumpta fuit; propterea que nullum pati debere decrementum, nulloque modo imminuendam esse, ut vicariorum congrua ad statutam quantitatem redigatur. Cæterum firmis, ut par est, manentibus antiquioribus his, et potioribus juribus tum quartæ episcopalis, tum fabricæ ecclesiarum, ubi eadem actu vigeant, veterique consuetudine soleant observari, altera, et quidem integræ reddituum summæ, seu totius assis quarta pars accurate detrahatur ex aliis fructuum portionibus, quæ jure minus privilegiario decimatoribus obveniunt.

Ad quartam partem conflandam singulos percipientes decimas suam pro rata portionem conferre præcipitur.

§. 6. Ad hanc itaque integram quartam reddituum omnium partem, quæ ad actuales animarum rectores jure pertinet, conflandam singuli percipientes decimas ecclesiarum parochialium suam pro rata portionem conferre tenebuntur. Neque onus hujusmodi grave nimis videri ulli unquam poterit, aut ab æquitatis legibus ullo modo alienum, si animadvertere voluerit, quæ sit decimarum indoles, quæve illarum origo, atque institutio. Decimæ enim quasi ex sua natura, et primæva institutione ad hoc sunt ordinatæ, ut ex illis susten-

tatio, aliaque necessaria iis subministrentur, qui sacramenta administrant; atque hoc sub onere congruæ portionis ad capitula, monasteria, aliave corpora, aut personas transiverunt: cui sane oneri subjectæ perpetuo manent; semperque earum possessores obstringuntur, parochis de portione congrua providere.

Pro salubriori decreti effectu comparticipatio distribuitur inter principales, et in subsidium obligatos.

§. 7. Ne vero saluberrimum hoc Nostrum decretum optato careat effectu, et ne contentionum occasio plures inter decimatores præbeatur, dum eorum quilibet in alium decimatorem sæpe sæpius refundere solet onus concurrendi præcipuo loco ad vicariorum congruam; ea propter decernimus, ac statuimus, ut quicumque decimas parochiales in parte, ut ajunt, quota percipiunt, hi omnes, servatis, quæ superius servari mandavimus, æque principaliter teneantur pro quota decimarum, quam quisque possidet, ad portionem congruam vicariorum concurrere. Qui vero decimas vel in quantitate certa percipiunt, vel jure feudi, hi ad prædictum onus in subsidium tantummodo teneantur.

De oneribus, quibus vicarii subjici debent.

§. 8. Hactenus de vicariorum congrua quoad eos, qui ratione decimarum parochialium, quas percipiunt, concurrere ad illam tenentur. Nunc eadem consideranda superest quoad onera, quibus subjici ea potest, vel non. Porro quum in superioribus Nostris literis statuissemus, ut quarta pars fructuum, et reddituum parochialis ecclesiæ cedere deberet vicario perpetuo, qui eidem præficitur, hæc statim addidimus verba: *dummodo prædicta quarta pars, subductis omnibus oneribus, neque computatis missarum eleemosynis, aut piis fidelium oblationibus, quæ offeruntur in administratione sacramentorum, aut aliis quibusvis, minor non sit scutatis* 50. *istius monetæ*. Hinc planissimum consectarium est, nullo posse onere gravari illorum vicariorum congruam, quæ scutata 50. istius monetæ excedit, vel quæ licet quantitatem prædictam excedat, excessus tamen is est, ut sufficiat dumtaxat ad tot alendos ministros, seu auxiliares in animarum cura secerdotes, quot vel parochiæ amplitudo, vel populi frequentia, vel aliæ circumstantiæ, Ordinariorum judicio, et conscientiæ æstimandæ, necessario postulaverint. Cæterum hac perpetuo firma manente lege, et conditione, in reliquis declaramus: primo, vicariorum congruam ad quartam decimarum, ac reddituum partem redactam iisdem obnoxiam esse debere oneribus, quibus antea, quamvis tenuior esset, legittime subjiciebatur: secundo, pro ratione augmenti, quod prædictæ congruæ accessit, augeri quoque debere contributionem quoad ea onera, ad quæ vicarii pro rata tantum prius concurrebant: tertio demum, vicarios, qui ob tenuitatem reddituum parochialium nulli prius subjiciebantur oneri, auctis nunc redditibus, ac proinde pares effectos nonnullis ferendis oneribus, hæc subire teneri. Iniquum enim esset, parochos habituales, aliosque decimarum possessores, qui privantur commodis, hoc est ea decimarum quantitate, qua prius fruebantur, eadem onera, quæ antea sustinebant, in posterum etiam debere sufferre.

Justitia distributionis onerum evincitur.

§. 9. Quoad hanc vero novorum onerum impositionem, veterumque augmentum, nullam vobis certam, definitamque legem, aut modum tradere censemus. Rem omnem prudentiæ vestræ relinquimus, venerabiles fratres, æquitati, et conscientiæ. Ea apud Nos est pietatis vestræ, ac religionis opinio, ut pro certo habeamus, nullum vos hac de re capturos consilium, quod æquum non sit, et sanctum, quodque omnium votis apprime non satisfaciat, ita ut nemo sit futurus, qui de vobis juste conqueri possit. Onera, quibus sacri canones subjiciunt vicarios perpetuos, ea nominatim sunt, quæ jura spectant episcopalia. Nam *cap.* 2. *de præbendis* statutum legimus, ut ea parochialium reddituum pars vicario assignetur: *unde jura episcopalia possit persolvere, et congruam substentationem habere.* Eorumdem pariter episcopalium jurium præcipua fit mentio *cap.* 1. *de præbendis in* 6., ubi ea esse debere decernitur rectorum ecclesiarum congrua, ut hi possint *commode sustentari, et episcopalia jura persolvere, et alia incumbentia eis onera supportare.* Hæc lumen vobis, facemque præferre aliquo modo poterunt in definiendis pro vestra æquitate, ac prudentia novis oneribus, quæ subire debebunt vicarii, qui ab omni prius onere immunes erant, eo quia debita destituebantur congrua.

Excipiuntur pensiones impositæ super asse reddituum parochiarum unitarum.

§. 10. Cæterum dum sermo Nobis est de oneribus, quibus quarta decimarum pars vicariis tributa subjici potest, exceptas semper volumus pensiones, quæ impositæ fuerunt super integris redditibus, seu super integro, ut ajunt, asse reddituum parochiarum unitarum. Neque enim mens unquam Nobis fuit, atque consilium gravandi vicarios pensionibus, subjiciendive quar-

tam reddituum parochialium partem, quam eisdem vicariis in congruam assignavimus, iis oneribus, quæ a beneficiorum indole, ac natura sunt prorsus aliena. Quare vel de pensionibus agitur, quæ renunciationis causa impositæ fuerunt in resignantis commodum, ac sustentationem; vel de iis, quibus possidentes beneficia ultro libenterque sese submiserunt, dum eis prædicta collata sunt beneficia, quin prævidere possent, onus a Nobis fore imponendum augendi vicariorum congruam ad quartam usque reddituum, decimarumque partem. Si de prioribus sermo instituatur: quum incongruum maxime sit, ut vel is, qui beneficio renunciavit cum pensione, hoc maximo cum detrimento carere debeat; vel parochialis vicarius debita destitui debeat congrua ad decentem sui sustentationem necessaria, ut ex redditibus parochiæ dicta pensio resignanti solvatur; ideo quotiescumque ex parochiarum unitarum separatione, quam superioribus Nostris literis mandavimus, illud sequatur incommodi, ut vel resignans sua frustrari debeat pensione, vel vicarius perpetuus debita privari congrua ad minus scuta quinquaginta istius monetæ, aut ea, quæ necessaria sit ad alendos tot in animarum cura adjutores, quot necessitas expostulaverit; hac tantummodo in hypothesi, et non alias permittimus, ac indulgemus, ut actualis parochiarum unitarum separatio differatur, donec resignans supremum obierit diem, ac proinde donec prædicta pensio fuerit extincta. Ac si de alterius generis pensionibus verba fiant; cum aptissimum supersit reductionis medium, quo beneficiario pensionem solventi consuli commode possit, nihil innovandum censemus; imo per præsentes Nostras literas novum robur addimus, auctoritatemque iis omnibus, quæ superioribus Nostris literis mandavimus tum de parochiarum separatione, et vicariorum perpetuorum institutione, tum de congrua portione quartam partem reddituum omnium parochialium adæquate vicariis constituenda. Quæ duo tam arcto inter se vinculo connexa declaramus, atque pro quibusvis istius Sardiniæ insulæ diœcesibus ita generatim statuta, ut Nostræ voluntati nemo arbitrari debeat se morem gessisse, nisi utramque fideliter compleverit. Hinc si quæ forte vicariæ perpetuæ ante hæc nostra, et superiora decreta institutæ fuerint, quin integra quarta pars reddituum omnium vicariis illarum fuerit adjudicata; vel si quæ etiam, absque parochialis beneficii unione, facta fuerit proventuum parochialium dismembratio, quin sæpedicta quarta pars salva manserit, et integra rectori ejusdem beneficii parochialis; hanc tum memoratis vicariis perpetuis, tum hujusmodi rectori respective adjudicari mandamus, ac præcipimus.

Exonerantur parochiales ecclesiæ ab usu persolvendi partem reddituum capitulo.

§. 11. Præter hæc quum in diœcesi Bosen. usus obtineat, vetusque consuetudo, ut nonnullæ parochiales ecclesiæ canonicatibus unitæ quamdam reddituum partem capitulo persolvant, qui redditus in quotidianas canonicorum distributiones erogantur; dubitatum est, an post dictarum parochiarum a canonicatibus separationem, vicarii perpetui, qui ad illarum regimen cum debita congrua assumpti fuerint, eodem modo prædictam fructuum quantitatem persolvere capitulo teneantur, quamvis ad eam vicarii hactenus concurrere ob reddituum tenuitatem minime consueverint. At Nos minime decere existimamus, ut onus hujusmodi a beneficiorum parochialium natura, ac indole prorsus alienum vicariis perpetuis imponatur. Re quidem vera si prædictæ consuetudinis origo repetenda dicatur, suumque habere fundamentum in decreto concilii Tridentini sess. xxi. c. 3. de reform. quo sancitum fuit: tertiam partem fructuum quorumcumque proventuum, et obventionum tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti: animadverti facile potest, quod licet separationem hanc admitterent parochialia beneficia, quamdiu parochiæ unitæ erant, et incorporatæ præbendis canonicalibus; eam tamen nullo modo patiuntur, postquam per superiores Nostras encyclicas separavimus parochiales ecclesias una cum omnibus suis juribus, et pertinentiis, et ad primævum statum simplicem, et liberum, in quo ante unionem reperiebantur, restituimus, et revocavimus. Firmum enim, immotumque est apud omnes, vi superius relati decreti concilii Tridentini nullam separari posse partem fructuum beneficiorum, quæ sunt extra ecclesiam cathedralem, ut in quotidianas canonicorum distributiones convertatur. Præterea quum redditus hujusmodi in quotidianas distributiones conversi ad ipsos redeant canonicos, si choro intersint; æquum sane minime videtur, ut parochiales redditus, et decimæ, quæ ordinatæ sunt ad sustenta-

tionem parochorum pondus curæ animarum ferentium, iisdem parochiarum rectoribus subtrahantur, ut habituales ditentur parochi nullum in animarum curam impendentes laborem. Cæterum via non deest, ac ratio, qua satis apte provideri possit decremento distributionum, quod exinde canonicis obveniet.

Congrua vicariorum constituitur in scutis quinquaginta.

§. 12. Ex his omnibus, quæ ad tuenda parochorum jura, ac privilegia, ut sacri canones exquirunt, ipsaque lex æquitatis expostulat, comparata sunt, plenissime intelligitis, venerabiles fratres, quod si redditus, qui habituali parocho obveniunt, impares fortasse sint constituendæ pro vicario congruæ, quæ scuta 50. istius monetæ, quemadmodum definivimus, adæquet, suppleri omnino debeat ex cæteris redditibus ejusdem parochialis ecclesiæ, qui in alios quoscumque usus erogantur, detrahendumque, servatis servandis, quod deest ad prædictam summam scutorum 50., ex iis præstationibus seu contributionibus, quibus iidem redditus subjiciuntur, sive pro massa, ut ajunt, distributionum, sive pro parte, et censu episcopali, sive pro ipsius ecclesiæ fabrica. Potior enim præ cæteris est parochorum conditio, eorumque supra alios quoscumque decimarum possessores privilegium firmum magis est, ac præstans. Ipsi siquidem sacramenta administrant: ipsi spiritualem totius parochiæ curam immediate gerunt: ipsi in pascendis suis ovibus diu, noctuque laborant, gravissimumque ferunt pondus: ipsi demum tum officiorum divinorum cultui, tum aliis ministeriis ad æternam populi salutem necessariis, opportunisve vacare perpetuo debent. Ex hoc itaque potiori parochorum privilegio supra cæteros quoscumque necessario fit, ut, imparibus existentibus ad dictam summam scutorum 50. constituendam redditibus parochialibus, qui parocho habituali accedunt, quod deest, desumi omnino debeat ex aliis ejusdem parochiæ redditibus, quoscumque in pios usus hi erogentur, et quibuscumque obveniant, minori certe donatis privilegio, quam donentur parochi.

Derogatur constitutioni sancti Pii V. quæ minorem quoque congruam admitti posse declaraverat.

§. 13. Nec admittendam ullo modo censemus exceptionem, quam alias propositam fuisse accepimus, et a sancto Pio V. prædecessore nostro probatam in sua constitutione, *Quantum animarum cura*, pro istius insulæ ecclesiis an. 1568. edita, nimirum eam esse in aliquibus locis annonæ vilitatem, ut vicarius perpetuus congrua 50. scutorum minori commode sustentari valeat. Non enim ignoramus, annonæ vilitatem eamdem semper non esse, plurimisque vicissitudinibus esse obnoxiam, ac proinde facili negotio fieri posse, ut, aucto annonæ pretio, desit aliquando vicariis, quod necessarium est ad vitam honeste, decenterque traducendam, quemadmodum quotidiana edocemur experientia. Præterquamquod dissimulandum vobis non est, in definienda parochorum congrua non solum habendam esse rationem sustentationis eorumdem, verum etiam parochiarum necessitatis. *Tantum redigantur*, verba sunt concilii Tridentini *sess. XXIV. cap.* 13. *de reform.*, *quod pro rectoris, ac parochiæ necessitate decenter sufficiat.* Re quidem vera, uti exploratum per se est, omnia onera respicientia curam animarum, et administrationem sacramentorum spectant ad vicarium perpetuum. Firmum itaque, immotumque esse volumus, quod superioribus nostris literis decrevimus, congruam scilicet vicariorum minorem haud esse posse scutis 50. istius monetæ.

Consulitur parochis vel nullos habentibus redditus, vel eos repeti cnactis, a tertiis in quos parochialia bona migrarunt onero so titulo.

§. 14. Quod si ab aliquo habituali parocho clare, aperteque demonstrari contingat, parochialem ecclesiam eo, quo unita fuit, tempore nullos habuisse redditus, nullosque impræsentiarum habere; confugiendum tunc erit ad symbola, et collectas, prout a concilio Tridentino generatim, et pro quibuscumque parochialibus ecclesiis traditur, eaque ratione consulendum erit decenti vicariorum sustentationi. At si parochialem ecclesiam suos olim habuisse redditus constet, eosque a parocho tunc temporis habituali per contractum aliquem onerosum fuisse remissos, seu alteri sub aliquo onere renunciatos; donec non demonstretur, inter cætera onera ei imposita, cui facta est decimarum renunciatio, seu remissio, illud quoque additum fuisse, ut debitam vicario congruam subministret, (qua in hypothesi cogendus is erit, ut promissis stet) onus hujusmodi ad ipsum habitualem parochum interim spectare decernimus, ac volumus. Hujusmodi enim decimarum renunciatio facta absque dubio fuit cum aliqua renunciantis utilitate, et commodo; ac proinde quum prædictum onus suppeditandi vicario sufficientem congruam in alium vi alicujus contractus transiisse, non ostendatur, merito est inferendum, illud inhæsisse ipsi parocho habituali, ad quem jura omnia illud pertinere apertissime testantur.

Parochiales ecclesiæ habendæ sunt liberæ et nulli alii subjectæ usque dum contrarium invictissime probetur.

§. 15. Tandem ad parochialium ecclesiarum quod attinet separationem, perpetuorumque vicariorum in earum singulis institutionem, quam superioribus nostris literis secundum præscriptam methodum perfici mandavimus, dubium a quibusdam excitatum fuisse accepimus, an ecclesiæ, quarum plures adnexæ occurrunt alicui capitulo, dignitati, canonicali præbendæ etc. habendæ singulæ sint tanquam ecclesiæ parochiales præcipuæ, et a se invicem independentes, ita ut, facta separatione, constitui in earum qualibet debeat vicarius perpetuus, uti a Nobis fuit ibidem statutum: vel potius tanquam ecclesiæ filiales, seu adjutrices, ut vocant, alicujus ecclesiæ matricis; itaut post separationem satis sit, in ea, quæ princeps est, et magis conspicua, vicarium perpetuum constituere, in aliis vero inferioribus, et ab ea pendentibus vicarios tantum amovibiles eligere prædicto vicario perpetuo subjectos. Verum cum ecclesiarum parochialium uniones, quæ in ista Sardiniæ insula passim obtinebant, firmum nobis præbeant argumentum præsumendi, hujusmodi ecclesias prioris esse generis, totidemque fuisse, antequam unirentur, parochias a se invicem penitus distinctas, ac separatas, nulloque inter se colligatas subjectionis nexu; idcirco, nisi præsumptio hæc luculentissimis de medio tollatur argumentis, declaramus, ac præcipimus, ut prædictæ ecclesiæ sic unitæ haberi debeant tanquam totidem parochiales præcipuæ, a se invicem minime pendentes, nullique alii subjectæ, ita ut et a se invicem separandæ sint, et vicarius perpetuus in earum singulis constituendus secundum ea, quæ in superioribus nostris literis servari mandavimus.

Reservatio facultatis declarandi, et corrigendi constitutionem.

§. 16. Quoniam vero universa, quæ a nobis disposita sunt tam in superioribus Nostris literis, quam in præsentibus, eo unice spectant, venerabiles fratres, ut gregi vobis commisso prosint, ejusque faciliori, feliciorique consulant regimini; hinc si quæ occurrant causæ, vel peculiaria adjuncta a loci propinquitate, vel a rerum angustia, vel ab alia qualibet singulari circumstantia petita, quæ parochialium ecclesiarum separationem ea, qua decrevimus, ratione, et methodo minime pati videantur, eamdemque detrimento potius futuram evincant, quam utilitati; vestrum erit singula ad Nos diligenter referre, accuratissimeque describere, ut, omnibus matura deliberatione consideratis, quæ magis expedire parochialibus ecclesiis recte administrandis judicaverimus, in Domino statuamus, Nobis tantummodo facultatem reservantes declarandi, an singularia, quæ occurrere possunt, adjuncta ejus sint generis, ut ab universali lege rem postulent esse eximendam.

Clausulæ salutares, et derogatio contrariorum.

§. 17. Quæ omnia in præsentibus Nostris literis contenta firma esse volumus, suumque habitura robur, non obstantibus constitutionibus quibuscumque, indultis, privilegiis, literis apostolicis, consuetudinibus, cancellariæ etiam Nostræ regulis de unionibus, deque jure quæsito non tollendo, aliisque omnibus, siquæ fortasse sunt, speciali dignis mentione; quæ singula perinde ac si de verbo ad verbum descripta essent, ad hunc tantummodo effectum de potestatis Nostræ plenitudine revocamus, nulla esse decernimus, ac irrita; irritumque etiam fore ex nunc declaramus, quidquid secus per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, aut ignoranter contigerit attentari.

Conclusio.

§. 18. Novum præsentes literæ vobis præstant, venerabiles fratres, paternæ erga vos dilectionis Nostræ, juvandique commisso vobis gregi studii, ac solicitudinis argumentum. Easdem Nobis quoque præstituras confidimus amplissimam vestræ in Nos, apostolicamque Sedem observantiæ significationem, dum, vos omnem collaturos esse operam, industriamque pro certo habemus, ut, quæ vobis in mandatis dedimus, prompto, alacrique animo perficiatis. Interim vestris ad Deum precibus nosmetipsos commendantes, apostolicam vobis, gregique vestro benedictionem intimo cordis affectu impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem die xi. februarii MDCCLXXI. pontificatus Nostri anno secundo.

Datum die 18 Februar. 1771. Anno II.

## CX.

Confirmatio concordiæ super divisione bonorum initæ inter abbatem generalem monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiæ, et abbatem commendatarium monasterii sanctæ Mariæ de Caramagna ejusdem ordinis, et congregationis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio status monasterii, et circumstantiarum quæ concordiam suaserunt.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus abbas generalis monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiæ, quod cum ipse in iis versaretur circumstantiis, in quibus propter nonnullas, et quidem graves causas a monasterio sanctæ Mariæ de Caramagna nuncupato monachos sui ordinis evocare, eosque in aliis monasteriis dicti ordinis, et in eadem temporali ditione existentibus destinare tenebatur, ad hujusmodi effectum deputavit dilectum itidem filium Cosmam Monfort monachum expresse professum, et abbatem ordinis, ac congregationis ejusmodi cum opportunis facultatibus, quibus negotium hoc pertractare valeret cum dilecto quoque filio Francisco Saluzzo de Garesio illius abbate commendatario, ac eleemosynario carissimi in Christo filii Nostri Karoli Emmanuelis Sardiniæ regis illustris, ut ea, quæ ad hujusmodi effectum opportuna essent, conveniret, statuendo præsertim articulos respicientes distinctionem fundorum antiquorum pertinentium ad illam abbatiam, et ecclesiam parochialem ab aliis bonis, ac redditibus propriis monachorum, ad hoc, ut bona, et redditus hujusmodi favore alterius monasterii ipsius ordinis, et congregationis, ac in eadem temporali ditione existentis, applicari possent. Feliciter itaque omnia composita, ac in quatuordecim articulis statuta fuerunt in pagina conventionis nuncupata, cujus tenor est qui sequitur videlicet.

Tenor concordiæ.

§. 2. Convenzione tra l' illustrissimo, e reverendissimo signor abbate commendatario di santa Maria di Caramagna don Francesco Gaetano Saluzzo Miolans Spinola di Garesio elemosiniere di sua maestà, e la congregazione de' monaci di san Girolamo di Lombardia.

L'anno del Signore 1770., ed alli 20. del mese di settembre alle ore ventiquattro in Torino, ed in una camera dell'appartamento tenuto al primo piano dall' illustrissimo signor conte Peiretti di Condove secondo presidente dell'eccellentissimo real senato, nel palazzo della signora marchesa di san Giorgio sotto la parrocchia di san Giovanni, cantone di santa Croce, ivi avanti il prefato signor conte, e presidente Peiretti, ed alla presenza di me notajo Gaspare Domenico Gandolfo segretario, e degli infrascritti signori avvocato Giuseppe Maria Pio Revelli, e Claudio Antonio Pillion residenti in questa città testimonj richiesti, e colle parti conosciuti, ed in piede del presente colle medesime sottoscritti.

Narratio factorum.

§. 3. Ad ognuno sia manifesto conciosiacosachè il padre generale de' monaci di san Girolamo di Lombardia, essendo in circostanza per varj rilevanti motivi di richiamare i religiosi del suo ordine residenti in Caramagna, per ripartirli in altri monasteri situati nel real dominio, abbia fatto rassegnare a sua maestà per mezzo del padre abbate Monfort a questo effetto principalmente destinato, e monito delle opportune facoltà le sue rappresentanze, acciocchè si degnasse di ordinare, che esaminati i titoli dello stabilimento de' monaci di detto ordine al reggime della parrocchia di Caramagna, e dei fondi da principio assegnati per il loro mantenimento, così anche dei beni, che da tale tempo in poi sono i medesimi andati acquistando colla distinzione dei fondi di libero acquisto da quelli, che fossero, o dovessero aversi per affetti a peso locale, non omessa la considerazione dell'ettuale stato dell' edifizio di monastero costrutto di nuovo per la massima parte con grave dispendio, si accertasse la qualità, e quantità de' beni, e redditi di ragione appartenenti alla chiesa parrocchiale, e conseguentemente di quelli, che essendo proprj della religione potessero da questa, pagati i debiti, applicarsi a benefizio d'altro monastero de' regi stati, secondo che sua maestà si sarebbe degnata di approvare.

Prosecutio expositionis.

§. 4. Sia altresì vero, che intrapresasi la suddetta disanima previa comunicazione, che si fece dal detto abbate Monfort non solamente del titolo dello stabilimento de' monaci in detto luogo di Caramagna, ossia della convenzione stipulata li dodici giugno 1621. fra essi, e l'eminentissimo signor car-

dinale Campori in tal tempo abbate commendatario di quella abbazia, ma anche di tutti gli acquisti de' beni fatti in progresso dal monastero nello stesso luogo, e territorio, non tanto in dipendenza di donazioni, e lascite, che per mezzo di compere. E questi documenti essendosi successivamente esaminati dal moderno signor abbate commendatario di detta abbazia don Francesco Gaetano Saluzzo di Garesio, e combinati i medesimi con altre scritture influenti al proposito, ed esistenti nell' archivio abbaziale, abbiano l'uno, e l'altro trattata, e discussa all' amichevole la materia avanti il signor presidente conte Peiretti a ciò specialmente deputato da sua maestà, il quale, sentite in più congressi le parti, ed esaminate tutte le scritture per esse scambievolmente presentate, abbia poi proggettato alle medesime di abbracciare, ed eseguire li seguenti articoli di convenzione da ridursi in istromento previo il gradimento di sua maestà.

Curæ animarum et gubernio parœciæ renunciant monachi, unique commendatario earumdem regimen conceditur.

§. 5. I. Il padre abbate generale richiamerà i suoi religiosi stanziati nel monastero di Caramagna, e quelli collocherà ripartitamente in altri monasteri dello stato, fra tutto il mese di dicembre prossimo, o anche prima, se ciò sarà praticabile, ed in tale tempo non si avrà più alcun riguardo al contenuto nella precitata convenzione delli 12. giugno 1621., e resterà a totale carico del signor abbate commendatario la reggenza di quella parrocchia, e la cura spirituale delle anime, che ne dipendono, coll'obbligo dell'adempimento a tutti i pesi di messe, anniversarj, e processioni, benedizioni, ed altri qualsivoglia, alli quali sono di ragione obbligati gli amministratori, e reggenti di detta parrocchia, senza che li predetti monaci siano più tenuti per tale riguardo a cosa alcuna.

Vacuam propterea reddere debent ecclesiam, cum sacello, monasterio, et adnexis ædibus.

§. 6. II. Dovrà in tale occasione venire dai monaci rimessa libera, non solamente la chiesa parrocchiale colla sacrestia, ed altri membri, che ne facciano parte, e così il campanile colle campane, ma anche la fabbrica dell' antico monastero, che ancora esiste, ed ogni altro edifizio, che all'antico monastero sia stato in congiuntura della ricostruzione surrogato.

Item et linteamina, aliasque restituere sacras supellectiles.

§. 7. III. Le supellettili ecclesiastiche, ed altri ornamenti della sacrestia, come pure li mobili grossi, che si sono ricevuti dai monaci in esecuzione di dette convenzioni del 1621. dovranno da essi a tenore della stessa convenzione restituirsi alla parrocchiale, e per essa al signor abbate commendatario mediante l'effettivo pagamento del prezzo, a cui si sono in tal tempo stimati, secondo risulterà dagli rispettivi inventarj.

Item et oblationes fidelium

§. 8. IV. I paramenti, gli vasi, ed arredi sagri, li voti tanto di argento, che di altra materia, gli ornamenti, e tutte le altre cose, che saranno state da devoti benefattori offerte, o donate alla chiesa parrocchiale, o sacrestia avranno pure a lasciarsi per intiero a benefizio della medesima.

Nec non bona nuncupata capitularia.

§. 9. V. Si dovranno altresì dimettere a favore della chiesa tutti i beni dell'antica pertinenza di essa volgarmente denominati capitolari, designati nella fede di catasto degli 5. aprile scorso, per essere dopo la partenza de' monaci amministrati, e goduti da chi verrà destinato alla cura, e reggime della parrocchia.

Et censum annuum solvendum a communitate.

§. 10. VI. A benefizio di questa verrà parimenti ceduto da' monaci il capitale censo di doppie duecento cinquanta verso la comunità di Caramagna, di cui in istromento 6. dicembre dell'anno 1638. stato riconosciuto legittimo dalla regia delegazione con declaratoria 26. maggio 1740., a condizione che però i proventi del suddetto censo cominceranno solamente a decorrere a benefizio della parrocchia dal giorno che i monaci lasceranno di risiedere in detto luogo.

Cætera bona libera monachis reservantur, nonnullis tantum exceptis.

§. 11. VII. Tutti gli altri beni, e fabbriche di campagna attualmente posseduti, e goduti da' monaci saranno dichiarati liberi, e proprj de' medesimi a riserva però de' seguenti, li quali dovranno pur separarsi in ragione di dominio a favore della parrocchia cioè = 1.° = Le tre pezze provenienti dalla eredità del prete Bartolomeo Bargis, de' quali nel di lui testamento 20. ottobre 1732. e rilevanti alla quantità di giornate quattro, tavole cinquantatre = 2.° = La pezza di prato di tavole quarantatre situata nella regione de' prati Molli, di cui si fa menzione nell' istromento 31. gennajo 1707.

Nonnulla legata missarum favore parœciæ pariter reservantur.

§. 12. VIII. Per ragione dei stessi beni, de' quali nel precedente capo saranno anche tenuti i monaci alla rappresentazione, o pagamento verso la chiesa parrocchiale delle infrascritte capitali somme, le quali dovranno poi essere opportunamente impiegate a cautela de' pesi infra accennati = 1.° = di scudi trecento da fiorini otto cadauno da ragguagliarsi alla moneta corrente

pervenuti al monastero della vedova Ludovica Paramet in virtù dell'istromento 5. marzo 1626. coll'obbligo della celebrazione in detta chiesa d'una messa eddomadaria = 2.° = di lire quattrocento pagate da Giovanni Costanzo Pautriero nell'atto dell' istromento 16. marzo 1739., e dal monastero ritirate con promessa da adempiere in perpetuo alla obbligazione impostagli di far dare ogni sera il segno dell'Ave Maria colla pulsazione della campana maggiore = 3.° = di lire centocinquanta sborzate al monastero da Pietro Domenico Jusè in istromento delli 9. agosto 1755. mediante il peso della perpetua celebrazione in detta chiesa di due messe ogni anno, e convertite dallo stesso monastero per cautela di detto carico nel pagamento di parte del prezzo di un campo nella regione di Longoria per esso acquistato in vigore dell' istromento 10. settembre nel medesimo anno.

Consulitur super distributione pretii pro monasterio noviter constructo.

§. 13. IX. L'edifizio del nuovo monastero per tutta la porzione, che si riconoscerà fabbricata in sito proprio di esso, e non surrogata al monastero antico, sarà parimenti dichiarato proprio de' monaci, purchè dai medesimi venga indennizzata la chiesa colla rappresentazione e pagamento col prezzo ricavando dalla vendita di tutto, o parte del monastero, o colla cessione di parte del medesimo, come infra delle seguenti somme, e nel modo, che verrà infra dichiarato = 1.° = di tutti li proventi del premenzionato capitale censo di doppie duecento cinquanta Spagna, che dalla liquidazione da farsi risulterà essere stati dalla comunità di Caramagna effettivamente pagati al monastero dal tempo della morte della suddetta vedova Ludovica Paramet sino al giorno, che i monaci cesseranno di risiedere nel luogo, sotto la deduzione però delle spese, che costerà essersi fatte da monaci per la liquidazione del medesimo censo = 2.° = di quelle somme, che durante la circostanza della costruzione del nuovo edifizio si sono annualmente risparmiate sopra li redditi assegnati al monastero, e convertite nella spesa della nuova fabbrica in conseguenza della riduzione dell'ordinario numero de'religiosi stata al suddetto oggetto permessa coll' istromento 17. luglio 1758. = 3.° = dell' annualità delle lire trecento state col medesimo istromento rimesse a favore de'monaci, e da questi convertite, o dovute convertirsi nella edificazione del monastero dal dì, che si è principiata la nuova fabbrica in poi.

Aliæ providentiæ supra eadem re, de qua supra.

§. 14. X. E siccome si è rilevato per parte de'monaci, che la spesa da essi fatta nella nuova fabbrica eccedendo, come è probabile, il presentaneo valore della medesima, e così il prezzo, che dalla vendita potrebbe ricavarsene, non sarebbero essi in istato di rappresentare, e pagare le somme espresse nell'antecedente capo, e di supplire nel medesimo tempo, e sopra lo stesso prezzo al pagamento dei debiti, che hanno effettivamente contratto per causa unicamente di detta fabbrica, si farà procedere per mezzo di perito imparziale alla più esatta cognizione di detto nuovo edifizio, e dare successivamente da esso il suo ragionato giudizio, non tanto sul valore presentaneo del medesimo edifizio, quanto sopra la somma, a cui sia rilevata la totale spesa della nuova costruzione, avuti ad ogni cosa i necessarj riguardi; e risultando, che il valore dell'edifizio sia minore dello speso, onde col prezzo, che dalla vendita sia per ricavarsene, non possa supplirsi al totale pagamento verso la chiesa delle tre partite avanti accennate, e de' debiti ancora, che tiene il monastero verso terzi per causa della stessa fabbrica, si farà di dette partite quel ribasso, che sarà proporzionato all' importare dell'estimo di detto edifizio, ed alla totalità dei debiti cadenti sopra il medesimo.

Segregatio, si fieri poterit, inter novum, et vetus monasterium, peragenda perito viro committitur.

§. 15. XI. L'edifizio del nuovo monastero essendo fabbricato in contiguità dell'antico, che ancora sussiste, si dovrà riconoscere per mezzo dello stesso perito, se una parte della nuova fabbrica possa comodamente separarsi dal restante di essa, ed unirsi all'antica, col fine di dare così una più conveniente abitazione a chi avrà in avvenire la cura della parrocchia; ed in tal caso si cederà dal monastero la detta porzione di fabbrica alla parrocchiale per quel prezzo, che dal perito verrà fissato, sotto però la deduzione del valore del sito occupato dal nuovo braccio di fabbrica, cominciando dall' antico monastero fino alla Bielera, ben inteso, che la detta cessione si farà alla chiesa parrocchiale in isconto delle stesse partite di debito del monastero, che sono designate al capo IX. num. 1. 2. 3.

Segregatione sequuta arbitrium monachis conceditur de novo ædificio dispu-

§. 16. XII. Qualora sia effettuabile la detta separazione, ed applicazione potranno i monaci, quella seguita, disporre liberamente del restante nuo-

nendi ad libitum.

vo edifizio col giardino, che vi è annesso; ma quando si riconoscesse, che la medesima non potesse eseguirsi, sarà in facoltà di detti monaci di alienare, a chi meglio stimeranno, l'intiero corpo della nuova fabbrica col suddetto giardino, purchè tanto in questo, come nel primo caso non possa mai detta fabbrica essere dagli acquistatori destinata ad un uso, che sia per recare disturbo, ed incomodo nè alla vicina chiesa parrocchiale, nè al palazzo abbaziale, e nemmeno al signor abbate commendatario, a cui resterà eziandio riservata la facoltà di far togliere l'attuale appoggio del coperto nell'ultimo caso da terra di detto monastero dal muro della galleria del di lui palazzo, e a condizione ancora, che resti in cadauno di detti casi a privativo carico de'monaci il pagamento dei debiti, che abbiano contratti per causa del nuovo monastero.

In casu venditionis pretium dividendum pro rata statuitur.

§. 17. XIII. Nel caso, che da detti monaci si vendesse, come sopra, tutto il corpo della nuova fabbrica, dovranno pagare all'abbazia il valore del sito, di cui si è parlato al capo XI. a quel prezzo, che sarà dall'esperto giudicato.

Ex venditione aliorum bonorum consulitur satisfactioni onerum, quibus gravantur.

§. 18. XIV. Quanto poi agli altri beni, e fabbriche di campagna, riconosciute di libero acquisto, da' monaci si procederà primieramente alla giusta stima de'medesimi per mezzo di perito, e quelli poi si venderanno da' monaci per il prezzo, che ne verrà stabilito a quella persona, o persone, che saranno di gradimento di sua maestà; ben inteso però, che per l'adempimento de'pesi perpetui, ed ogni altra somma, che potesse richiedersi per la compita soddisfazione degli altri debiti originati dalla nuova fabbrica, debba il restante applicarsi a beneficio di altro monastero, o monasterj de' regj stati, ed impiegarsi in luogo, e fondo sicuro, anche per cautela degli acquistatori.

Pacta conventa per publicum instrumentum rata habentur.

§. 19. Quali capi di convenzione dopo essersi rispettivamente considerati, avendo le parti dichiarato di accettarli, ed in conseguenza di non dissentire di ridurli in pubblico istromento; ecco perciò, che quivi avanti il prefato illustrissimo signor conte, e presidente nel real senato Peiretti di Condove, ed alla presenza di me notajo, e signori testimonj infrascritti personalmente costituiti l'illustrissimo, e reverendissimo signor abbate commendatario dell'abbazia di santa Maria di Caramagna don Francesco Gaetano Saluzzo Miolans Spinola di Garesio elemosiniere di sua maestà della fu S. E. il signor marchese Carlo Emmanuele Enrico Giuseppe Antonio cavaliere del supremo ordine della santissima Annunziata, generale di cavalleria, e gran scudiere di sua maestà della presente città, ed in essa residente, ed il reverendissimo padre abbate don Cosmo Monfort procuratore speciale, e generale del corpo della sua congregazione di Lombardia costituito per istromento degli 24. febbrajo ultimo scorso tabellionatamente segnato, e sottoscritto = Joannes Angelus Dragonus = debitamente legalizzato, ed in piè del presente inserto; li quali, atteso il gradimento di sua maestà risultante da real biglietto del giorno d'oggi a detto signor conte presidente diretto, ed in piè del presente per copia inserto, hanno, tanto in loro nome proprio, che quanto al detto signor abbate commendatario in nome de' signori suoi successori in detta abbazia, ed in riguardo al detto padre abbate Monfort in nome del corpo della sua congregazione di Lombardia transatto, ed accordato, come per il presente istromento convengono, transiggono, ed accordano in tutto, e per tutto come nei sopraccennati capi di proggetto dai medesimi accettati, ed approvati: promettendo rispettivamente di adempiere, ed inviolabilmente osservare, ed eseguire ogni cosa in detti capi contenuta, come fosse qui di parola in parola ripetita, ogni opposizione, ed eccezione cessante. Il che tutto dette parti per quanto a cadauno spetta, ed appartiene hanno promesso, e promettono di attendere, ed inviolabilmente osservare sotto obbligo quanto al detto signor abbate commendatario di Caramagna de' beni di detta abbazia, quanto al detto padre abbate Monfort di quelli del corpo della sua congregazione di san Girolamo di Lombardia presenti, e futuri, colla clausula dell' amplissimo costituto possessorio di essi in forma camerale. Del che richiesto io suddetto, e sottoscritto notajo, e segretario ne ho ricevuto il presente pubblico istromento, e per l' insinuazione e tabellione lire 3. 2. 4., sottoscritti come alla minuta originale Francesco Saluzzo di Garesio abbate di Caramagna, don Cosimo Monfort, Giuseppe Maria Pio Revelli testimonio, Claudio Antonio Pillion testimonio; Peiretti.

Die 10. decembris 1770. = Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii, veris exi-

stentibus narratis, oratoris precibus benigne annuens, supradictam conventionem cum pactis, et conditionibus superius expressis approbavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus, et literas apostolicas in forma Brevis desuper expediri mandavit.

J. M. card. de Rubeis referend.

Loco ✠ signi.

F. A. archiep. Petrensis secr.

Preces porrectæ pro confirmatione concordiæ, quæ indulgetur.

§. 20. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus modernus abbas generalis, quo firmius conventio prædicta cum articulis, pactis, et conditionibus in ea expressis subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petrensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, veris existentibus narratis, præinsertam conventionem cum articulis, pactis, et conditionibus in ea expressis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris et facti, et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 21. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 22. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, congregationis, et monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima octava februarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## CXI.

Dat. die 2. Martii 1771. Anno II.

Prohibitio extrahendi libros e bibliotheca Mariana nuncupata conventus Barchinonensis ordinis minorum sancti Francisci de Observantia.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio imploratæ prohibitionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Steras minister provincialis provinciæ Catalauniæ fratrum ordinis minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum in Barchinonensi, qui inter cæteros provinciæ hujusmodi conventus primum, ut ipse asserit, tenet locum, nuper bibliotheca in honorem beatæ Mariæ virginis immaculatæ, ideoque Mariana nuncupata erecta fuerit; cumque Antonius prædictus non sine acerbo animi sensu ex intemperanti, et cæca librorum e bibliotheca prædicta asportatione jamdium compertum habuerit pessumdata, atque sublata non pauca fuisse volumina; cupiatque propterea a Nobis in præmissis provideri, et ut infra indulgeri.

Conservationi bibliothecæ consulitur, per excommunicationem latæ sententiæ contra extractores

§. 2. Nos conservationi, et manutentioni dictæ bibliothecæ prædictæ quantum cum Domino possumus benigne consulere, dictumque Antonium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: ne de cætero quisquam cujusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, et dignitatis etiam ecclesiasticæ, et quacumque auctoritate, superioritate, et officio fungens bibliothecam hujusmodi vendere, aut aliquam illius partem alienare vel hypothecare, ac libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione e dicta bibliotheca extrahere, et asportare, seu ut extrahantur, aut asportentur, aut vendantur, vel alienentur, seu hypotheceutur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda, a qua nemo nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere, et quoad regulares privationis vocis activæ, et passivæ pœnis auctoritate apostolica tenore præsentium interdicimus, et prohibemus.

Licentia pro retentione, et lectione librorum prohibitorum.

§. 3. Permittimus autem, ut idem Antonius libros, quinterna, sive folia hujusmodi e prædicta bibliotheca proprii usus gratia extrahere, et in ejus cellam asportare libere, et licite possit; ac memorato Antonio, aliisque, ad quos cura ejusdem bibliothecæ pro tempore demandata fuerit, ut ipsi in eadem bibliotheca quorumvis hæreticorum, et hæresiarcarum, aliorumque reprobatorum auctorum cujuscumque sectæ, et classis etiam primæ, et ex quacumque causa etiam ob falsi dogmatis suspicionem a prædecessoribus Nostris romanis Pontificibus, ac etiam in quibusvis conciliis generalibus, ac etiam a Nobis, et Sede apostolica quomodolibet prohibitos, et damnatos, et Nobis, successoribusque Nostris romanis Pontificibus, et a dicta Sede in futurum forsan prohibendos, et damnandos libros, manuscripta, et opera tam hactenus in lucem edita, quam in posterum edenda, seu scribenda quæcumque etiamsi ex professo, et in capite de religione, et fide catholica, seu contra religionem, et fidem easdem tractent in ipsa bibliotheca collocatos, et collocata, et in futurum collocandos, et collocanda retinere, habere, et asservare tantum libere, et licite, et impune, atque absque ullo conscientiæ scrupulo, et quarumcumque ecclesiasticarum sententiarum, ac censurarum, vel aliarum pœnarum etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incursu possint, et valeant; ita tamen, ut illos, et illa ab aliis separatos, et separata, et sub clavi, ne ad aliorum manus deveniant, retineaut, et nonnisi ab iis, qui opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concessam esse bibliothecario a prædicto Antonio, seu ab illis deputato, seu deputando ostenderint, legi permittant, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, et edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, dictorumque ordinis, et conventus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, nec non prohibitionibus desuper factis, et in posterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ bibliothecæ, aut in alio conspicuo loco ubi ab omnibus cerni, et legi possit affixum assidue remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 16. Martii 1771. Anno II.

## CXII.

**Facultas præscribendi alternativam in officiis, et suffragiis ferendis in provincia sanctissimæ Trinitatis regni Chilensis ordinis sancti Francisci de observantia.**

Dilecto filio Emmanueli de la Vega ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum professori, et Indiarum commissario.

Clemens PP. XIV.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Procmium.

§. 1. Ad pastoralis dignitatis fastigium licet immeriti per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, in id peculiari solicitudine incumbimus, ut prospero christifidelium divinis obsequiis mancipatorum statui, et regimini providere, atque ab eis quæcumque animorum dissidia, partiumque studia, quantum Nobis ex alto conceditur, removere jugiter satagamus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod alias anno nempe MDCCLXVII. tunc existentes procuratores provinciæ sanctissimæ Trinitatis nuncupatæ ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum regni Chilensis Americæ meridionalis ad æqualitatem servandam in suffragiis, et aliis ejusdem provinciæ officiis proposuerunt, ut alternativæ regula inter fratres conventuum unius partis dictæ provinciæ, et fratres aliorum conventuum alterius partis provinciæ hujusmodi locum obtinere deberet; verum quia agebatur de re totam provinciam respiciente, petitio, seu instantia hujusmodi ad provinciam ipsam remissa fuit, ut illius primum ad id consensus accedere deberet. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in capitulo provinciali ejusdem provinciæ habito anno **MDCCLXIX.** rationum momentis serio super re hac perpensis, atque discussis, omnium fratrum interesse habentium firma sententia fuerit pro omnimoda æquatione suffragiorum, et aliorum officiorum hujusmodi, illamque per Nos confirmari, et approbari fratres prædicti plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Deputatio executoris, qui gratiam indulgeat verificatis expositis.

§. 3. Nos igitur te, et fratres ejusdem provinciæ prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, alternativæ regulam in suffragiis, et officiis omnibus dictæ provinciæ inter unam, et alteram illius partem, ut præfertur, in posterum omnino observandam, ac exequendam esse, auctoritate Nostra apostolica tenore presentium statuas, mandes, atque præscribas.

Præceptum de observanda constitutione.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quiscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima sexta martii millesimo septin-

gentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 16. Martii 1771. Anno II.

## CXIII.

Publicatio jubilæi a die cœnæ Domini ad diem dominicæ in albis inclusive lucrandi ab eis qui confessi, et sacra refecti eucharistia ecclesias designatas visitaverint, et aliquam pauperibus eleemosynam erogaverint.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis status ecclesiastici.

Clemens Papa XIV.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Magna atque innumerabilia, venerabiles fratres, divinæ erga Nos misericordiæ, et clementiæ argumenta semper extiterunt; ac nullum unquam tempus fuit, quod non summis illius beneficiis fuerit cumulatissimum. Verumtamen unum redemptionis nostræ opus, cujus memoriam hisce diebus recolemus, ceterorum beneficiorum et magnitudinem longissime antecedit, et omnium vim, ac numerum complectitur. In hoc divino ac maximo inter homines peracto opere universæ religionis fundamentum est positum, in hoc spes expectationesque nostræ, omnisque vitæ, et felicitatis ratio continetur. Salvatoris nostri sanguine ab antiqua captivitate in libertatem vindicati sumus, a contagione ad sanitatem, a tenebris ad veritatis claritatem redditi, et in Dei filios, ac Jesu Christi cohæredes cooptati. Ille ut pœnam a nobis debitam persolveret, nostræ naturæ infirmitatem suscepit, calamitates, dolores, ægritudines nostras subiit, cum morte vitam, cum ærumnis ac inopia nostra gratiæ suæ dona commutavit: ut sua nobis tribueret, nostra in sese assumpsit, peccatis nostris coopertus est, et tanquam ovis ad occisionem ductus, ut victoriæ pro nobis relatæ ac triumphi in carne nostra acti præmia in nos redundarent. Quid igitur, venerabiles fratres, pro tanti beneficii præstantia agere Nos oportet, nisi ut similes in omnibus illi effecti, cum illo crucifigamur, cum illo moriamur, illius humilitatem, mansuetudinem, charitatem imitemur, ad illius exemplar conformati, in omnium animos divinæ clementiæ, pietatis, amoris cogitationes transferamus. In hoc assidue insistere nos potissimum necesse est, venerabiles fratres, qui ad vias Domini cæteris præmonstrandas præpositi sumus.

Episcoporum solicitudo excitatur ad commonendum populum super importantia jubilæi.

§. 2. Ac propterea Vos, qui propiores Nobis estis, ad quos proinde mature vox Nostra est perventura, compellare nunc voluimus, ac, quo majore studio possumus, excitare ad populum custodiæ vestræ creditum de hoc opportunissimo misericordiæ tempore commonendum. Quid vestro muneri convenientius, quid aliorum saluti utilius fieri a vobis poterit, quam si eosdem ad uberrimum hunc a Salvatoris Nostri cruce profluentem clementiæ ac misericordiæ fontem deducatis, et ad derivandos in sese hos sanguinis Christi fructus inflammetis? Vestra cohortatione, vestro exemplo Christo commori condiscant, ut cum illo a vetustate in novitatem vitæ possint resurgere, eique uni vivere, qui traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Agnoscant, quid hisce diebus celebranda mysteria præseferant; hoc tempus acceptabile, hos esse dies salutis, dies veniæ, miserationis, ac pacis intelligant, et percepta divinæ misericordiæ magnitudine, illam exquirant, ad illam confugiant, illius obtinendæ desiderio exardescant. Hæc eorum studia, hunc ardorem inflammare etiam debet admirabilis illa sacramenti altitudo, quod in sacratissima cœna a Christo Domino institutum commemorabimus. Ubi enim clarius erga nos Domini Dei nostri charitatis vis elucet, qui corpus, ac sanguinem suum in cibum, ac potum nobis tradidit, ut maximum, ac perpetuum sui amoris pignus se ipsum nobis relinqueret, et nos in illo, ille in nobis semper remaneret? unde major divinæ gratiæ ubertas in nos influat, et præsentiores ad sustinendam spiritus nostri infirmitatem vires accedant, quam cum ipsi omnis gratiæ ac salutis auctori conjungimur, et ejusdem corpori tanquam viva membra inserti in illius quodammodo naturam commutamur? Hos suavissimos divini amoris ac summæ illius pietatis ac miserationis sensus in omnium animos, venerabiles fratres, quemadmodum vehementer in Domino vos hortamur, inducite. Sed ut hic vestræ solicitudinis ardor opera etiam Nostra adjuvetur, hac divinæ misericordiæ, bonitatis, et clementiæ opportu-

nitate cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei Nostræ commissa est, ad populi vestri utilitatem reserandos decrevimus. Dum enim Christus Dominus, qui caput et magister est noster, suæ misericordiæ divitias in omnes effundit, eundem imitari Nos, ac ejusdem clementiæ et charitatis insistere vestigiis, quantum in Nobis est, quaque possumus ratione maxime debemus.

Præfiniuntur ea quæ sunt præstanda pro consecutione jubilæi.

§. 3. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in diœcesibus vestris degentibus, qui ecclesias a vobis designandas a die cœnæ Domini ad diem dominicæ in albis inclusive, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote Deum oraverint, et peccata sua confessi sanctissimum eucharistiæ sacramentum intra idem tempus reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, sicut in anno jubilæi visitantibus certas ecclesias intra, et extra urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, et elargimur.

Consulitur regularibus personis, aliisque vel in carcere detentibus, vel aliqua corporis affectis infirmitate.

§. 4. Regularibus vero personis utriusque sexus etiam in claustro perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, et indulgemus.

Facultates extraordinariæ confessariis concessæ.

§. 5. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, et regularibus cujusque ordinis, congregationis, et instituti in diœcesibus vestris degentibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedis apostolicæ per quascumque Nostras aut romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeat: et insuper vota quæcumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare; injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis.

Reservationes.

§. 6. Non intendimus autem per præsentes, sicuti prædecessorum Nostrorum nemo in pubblicatione jubilæi unquam intendit, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, vel ab aliquo prælato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti fuerint, nisi intra ejusdem jubilæi tempus satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim, et expeesse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio, et fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Demum apostolicam benedictionem fraternitatibus vestris peramanter imper-

timur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima sexta martii MDCCLXXI. pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 18. Martii 1771. Anno II.

## CXIV.

Confirmatur resolutio congregationis Rituum, qua capitulo, et canonicis ecclesiæ sancti Laurentii terræ Tophiæ tribuitur præcedentia supra clerum terræ Pharæ in publicis ecclesiasticis functionibus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici collegiatæ ecclesiæ sancti Laurentii terræ Tophiæ nullius diœcesis in districtu urbis, quod exortis inter ipsos ex una, ac dilectos filios capitulum, et canonicos collegiatæ ecclesiæ terræ Pharæ ex altera partibus controversiis super jure præcedendi in publicis processionibus, aliisque actibus, qui unitim fiunt, in functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum delatis a dilecto filio Nostro Joanne Karolo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Boschi nuncupato hujusmodi causæ ponente concordatum, ac propositum fuit sequens dubium, videlicet = An in publicis processionibus, ac functionibus ecclesiasticis, aliisque actibus, quæ unitim fiunt a clero terræ Pharæ cum clero terræ Tophiæ præcedentia debeatur dicto clero terræ Pharæ, an potius clero terræ Tophiæ in casu etc. =.

Decretum sacræ congregationis Rituum.

§. 2. Eadem vero congregatio utraque parte scripto, et voce informante prius audita, visisque juribus hinc inde deductis ad relationem ejusdem Joannis Karoli cardinalis rescribendum censuit, ut sequitur = Præcedentiam deberi capitulo, et canonicis ecclesiæ collegiatæ terræ Tophiæ, et ita decrevit, ac servari mandavit die vicesima tertia junii MDCCLXX. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædicti capitulum, et canonici terræ Pharæ ejusdem congregationis resolutioni minime acquiescere vellent, ipsi vero exponentes ad evitandos ulteriores sumptus, atque dispendia, quæ propter hujusmodi controversiam in posterum essent peragenda, dictæ congregationis resolutionem per Nos approbari, et partibus silentium imponi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio resolutionis sacræ congregationis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito prius eodem Joanne Karolo cardinali, et causæ hujusmodi ponente, præinsertam resolutionem a memorata congregatione cardinalium die xxiii. junii MDCCLXX., ut præfertur editam, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque partibus prædictis perpetuum silentium imponimus.

Sanctio constitutionis.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, et capitulorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omni-

bus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 26. Martii 1771. Anno II.

## CXV.

Decreti sacræ congregationis Rituum confirmatio, super concessione officii proprii in festo sancti Alexii pro diœcesi Portugallensi.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor decreti sacræ congregationis Rituum.

§. 1. Emanavit nuper ad supplicationem venerabilis fratris moderni episcopi Portugallensis a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum decretum, tenoris sequentis videlicet.

Portugallensis = Reverendissimus hodiernus episcopus Portugallensis pro sua erga sanctum Alexium confessorem peculiari devotione humillime Sanctissimo Domino Nostro Clementi pp. XIV. supplicavit, ut a clero sæculari, et regulari in sua civitate, et diœcesi in memoriam ejusdem sancti Alexii recitari possit officium de communi confessorum non Pontificum cum lectionibus secundi, et tertii nocturni, oratione, et missa propriis jam sub die 23. junii 1736. pro alma urbe, ejusque districtu adprobatum. Et Sanctitas Sua, ad relationem per me secretarium factam petitam officii, et missæ recitationem sub ritu duplicis minoris benigne concessit. Die 16. martii 1771.

Loco ✠ signi.

H. card. Chisius præfectus.

M. Gallo S. R. C. secretarius.

Petitio porrecta pro decreti confirmatione, quæ indulgetur.

§. 2. Cum autem sicut pro parte ejusdem venerabilis fratris Nobis subinde expositum fuit, ipse decretum hujusmodi quo firmius subsistat apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos specialem ipsi exponenti gratiam facere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus Nobis ejus nomine humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ congregationis cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac civitatis, et diœcesis prædictarum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta martii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Datum die 7. februarii 1771. Anno II.

## CXVI.

Almum studium Ferrariense novis legibus, institutis, et immunitatibus restituitur, atque distinguitur.

Clemens episcopus

servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summ. Pontif. curæ in tuendis, restituendisque optimarum artium studiis.

§. 1. Scientiarum, optimarumque artium studia, præclaris summorum Pontificum in christianam rempublicam meritis, atque laboribus restituta, amplissimis quoque illorum muneribus aucta, et exculta, præcipuo quodam jure, apostolica Sedes tueri, atque ornare consuevit. Hinc scholæ, hinc academiæ, hinc gymnasia non in urbe solum, verum qua late patet s. Sedis imperium, passim celebrioribus in civitatibus instituta, quæ, ut ad excolendos ad integritatem, et ad innocentiam mores, fovendam in Deum pietatem, virtutem in ingeniis excitandam, divino prope consilio, et singulari sapientia præditi prædecessores Nostri condidere; ita ne quando ab instituto deflectere, sensimque labi contingat, quod sine maximo ecclesiasticæ disciplinæ, et virtutum omnium discrimine evenire non potest, summopere a Nobis providendum est, ac etiam sicubi perpetua humanarum rerum, temporumque vicissitudine, jampridem collapsa, atque eversa sint, ut quamprimum in veterem dignitatis, atque existimationis gradum revocentur, et restituantur, modis omnibus contendendum.

Preces a reformatoribus almi studii Ferrariensis summo Pontifici expositæ.

§. 2. Quum igitur dilecti filii reformatores almi studii civitatis nostræ Ferrariæ ad Nos detulerint, alias a fel. rec. Bonifacio pp. IX. prædecessore Nostro, eidem nostræ civitati concessum, ut studiorum universitatem, sive studium generale, erigere, instituere, perpetuoque retinere posset in sacra pagina, jure canonico, et civili, nec non in medicina, et qualibet alia literarum licita facultate, prærogativis, gratiis, privilegiis per apostolicas ejusdem prædecessoris Nostri literas iv. nonas martii anno Domini 1391. datas, quarum est initium = *In supremæ dignitatis Apostolicæ specula* = liberaliter indultis, atque donatis, erectumque postea, et scientiarum, bonarumque artium professoribus, seu lectoribus scholaribus, officialibus, ministris opportune, et abunde provisum, modo judicis sapientum, aliorumque civium ferrariensium, modo sex, modo paucorum reformatorum nuncupatorum curæ, et gubernationi concreditum, literarum gloria, et clara præstantium virorum fama, tam eorum, qui professoris munus in eodem generali studio exercuerunt, quam eorum, qui elegantioribus disciplinis ibidem imbuti, egregiam ecclesiæ, aut reipublicæ operam navarunt, continenter floruisse, illudque etiam a recol. mem. Clemente pp. VIII. pariter prædecessore Nostro, qui centumvirali consilio in prædicta nostra civitate, tunc sua, constituto, ex his ut duo reformatores studii eligerentur perpetuo concessit, approbatum, confirmatum, pluribus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus ditatum, propriisque, et perpetuis redditibus auctum, per suas apostolicas literas incipien. = *Romanum decet Pontificem* = die 12. junii anno Domini 1600; aliasque in forma brevis die 21. novembris 1601., et 14. augusti 1602, ac demum 25. octobris ejusdem anni expeditas extitisse, paucisque interjectis annis procurationem, administrationem, et omnimodam illius jurisdictionem a centumvirali consilio ad judicem, et magistratum sapientum, itemque duos reformatores delatam fuisse, assumpto nomine congregationis studii Ferrariensis, quo etiam nunc appellatur, et distinguitur: posterioribus autem temporibus, illius redditibus aliqua ex parte in publicas, et necessarias prædictæ civitatis causas conversis, jurisprudentiæ, et rei medicæ primariarum facultatum eximiis professoribus stipendii paucitate dimissis, scholaribus professorum inopia abalienatis, antiquis legibus, et statutis ipsa vetustate neglectis, novisque ad rerum opportunitatem magis, quam ad temporis diuturnitatem quæsitis, multum de vetere dignitatis, atque excellentiæ fama decidisse, iisque de causis supplices apud Nos institerint, ut opportunas, et, quantum humanæ vices patiuntur, diuturnas rebus pene labantibus opes afferre dignaremur.

Pontifex negotium dat card. Hieronymo Spinola, a quo nova statuta conduntur.

§. 3. Nos itaque re communicata cum dilecto filio Nostro Hieronymo tit. s. Balbinæ S. R. E. presbytero cardinale Spinola nuncupato, Nostro, et apostolicæ Sedis de latere in eadem civitate, et ducatu nostro Ferrariæ moderno legato; ab eoque certiores facti, prædictum studium generale, sive universitatem Ferrariensem, scholarium infrequentia, excellentium professorum ino-

pia, reddituum diminutione, antiquatis legibus, aut parum ad hæc tempora accommodatis, aliisque de causis, summopere laborare, ac magis magisque quotidie in deterius abire; quum eidem propterea negocium dederimus, ut quam magis ipsi expedire videretur, excogitaret, Nobisque rationem suggereret, qua, et præsentibus mederi incommodis, et diuturnæ præfati studii generalis stabilitati, atque incremento consulere possemus; isque interjecto plurium mensium spatio, antiquis, ac recentibus prædictæ universitatis legibus, constitutionibus, consuetudinibus, moribus apprime cognitis, malorum causis detectis, ac penitus exploratis, aliisque pluribus, quantum rei gravitas, et necessitas postulabat, sedulo, accurate, diligenterque perspectis, novas ordinationes, leges, seu statuta efformaverit, descripserit, digesserit, eaque Nos ipsi singillatim, atque per partes examinare, expendere, ac de verbo ad verbum scrutari non destiterimus, quæ omnia, et singula, instaurationi, progressui, ac stabilitati ejusdem studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, quam maxime opportuna fore deprehendimus.

Approbatur erectio universitatis Ferrariensis.

§. 4. Cupientes idcirco in primis civitatem nostram Ferrariæ, perpetuo devotionis, et fidelitatis studio de apostolica Sede præclare meritam, loci amplitudine, pulchritudine ædificiorum, hominum frequentia, agrorum ubertate, ingeniorum copia, magnoque præstantium civium numero de eadem apostolica Sede muneribus, legationibus, dignitatibus strenue obitis, feliciterque assecutis egregie meritorum, multisque aliis nominibus, nulli christiani orbis, et Pontificiæ ditionis urbium omnino secundam, singularibus gratiis, et muneribus prosequi, ejusque universitatem, seu generale studium, quondam sapientiæ, doctrinarum, omnisque amplissimæ laudis fama toto orbe celeberrimum, ad pristinum decus excitare, et quantum in Domino possumus, revocare volentes, illius institutionem, et erectionem jampridem a fel. rec. prædecessore Nostro Bonifacio pp. IX. per suas apostolicas literas datas Romæ apud s. Petrum IV. nonas martii anno Domini MCCCXCI. incipientes = *In supremæ dignitatis* = concessam, atque approbatam, novo approbationis, et confirmationis Nostræ munimine, auctoritate apostolica tenore præsentium, quatenus opus sit, iterum approbamus, et confirmamus, studiumque generale Ferrariæ, sive illius universitatem tanquam legitime erectam, atque institutam, etiam in posterum ab omnibus censeri, et judicari debere volumus, atque mandamus.

Antiquæ universitatis leges abrogantur.

§. 5. Cum autem, ut præfertur, leges, statuta, consuetudines, ordinationes, quibus præfatum generale studium, sive universitas olim usa est, ac etiam in præsens utitur personis, rebus, casibus, temporibus, aliisque ordinandis, explicandis, prævidendis minus accomodatæ, ac prorsus impares esse usu, atque experientia constiterit, nec ad ejusmodi universitatum, studiorumque generalium progressum, incrementum, stabilitatem, procurandam, fovendam, juvandam quidquam melius conferre, aut expedire compertum sit, quam si certis, propriis, perpetuisque legibus utantur, regantur, et gubernentur; idcirco omnium, et singularum legum, statutorum, ordinationum, consuetudinum, quibus prædictum studium generale, sive universitas hactenus regi, et gubernari consuevit, vel etiam in præsens regitur, et gubernatur, tenores hic pro expressis habentes, prout ea omnia, et singula quocumque tempore, quacumque de causa, quavis auctoritate, per quoscumque cujusvis ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis, præeminentiæ, seu alia specifica, et individua mentione, et expressione dignos, etiam S. R. E. cardinales, vel de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, ac etiam per romanos Pontifices prædecessores Nostros lata, edita, promulgata, approbata, confirmata, præteritisque temporibus, ac etiam in præsens in totum, vel in parte servata dignoscuntur: Nos ea omnia, et singula auctoritate apostolica tenore præsentium infirmamus, abrogamus, abolemus, et quamlibet obligandi, et coercendi vim, potestatem, robur perpetuo adimimus, omnesque, et singulos ab ulteriore illorum jurisdictione, observatione, obedientia eximimus, liberamus, absolvimus, non obstantibus apostolicis literis felic. rec. Clementis pp. VIII. datis Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris di xii. junii anno Domini MDC. incipien. = *Romanum decet Pontificem* = aliisque quibuscumque.

Novis statutis auctoritas adjicitur, eorumque observantia præscribitur.

§. 6. Deinde motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, et de apostolicæ potestatis plenitudine, leges, ordinationes, statuta, ad incrementum, decus, stabilitatemque generalis studii, sive universitatis Ferrariensis a prædicto Hieronymo cardinale, et legato de mandato Nostro ex

integro descripta, explanata, digesta, et a nobismetipsis sedulo, accurate, diligenterque examinata, expensa, laudamus, approbamus, et confirmamus, illisque, et eorum singulis plenum, perpetuumque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: decernentes, omnia, et singula in eis contenta, vim, effectum, et efficaciam legis, et canonicæ sanctionis perpetuo habere, et obtinere, ac tamquam statuta, et ordinationes studii generalis, sive universitatis Ferrariensis certas, proprias, atque perpetuo mansuras Pontificia potestate editas, parique auctoritate roboratas, ab omnibus in posterum recipi, haberi, nuncupari, exequi, judicari, et observari debere: omnesque, et quoscumque casus, controversias, quas in posterum circa ejusdem generalis studii, sive universitatis Ferrariensis administrationem, regimen, jurisdictionem, eorumque exercitium oriri contingat, ad leges, statuta, ordinationes prædictas, et singula in eis contenta omnino referri, et nonnisi juxta, et secundum easdem leges, statuta, ordinationes provideri, dirimi, et definiri debere; easdemque leges, statuta, et ordinàtiones generalis studii, sive universitatis Ferrariensis, quæ deinde typis impressæ seorsim etiam a præsenti constitutione promulgari valeant, pro majori earum firmitate, ac robore de verbo ad verbum, atque infrascripto ordine digestas hic describi, atque inseri curavimus, atque mandavimus, quarum tenor est, ut sequitur.

## PARTE PRIMA

### Capitolo I.

*Della qualità, e numero delle cattedre.*

Essendo l' antico costume così di questa, come delle altre università d' Italia di dividere in classi tutte le facoltà, che s' insegnano, e similmente distinguere le cattedre, ed i professori in legisti, ed artisti; per ora si sono erette tante cattedre, quante si è creduto poter bastare al pubblico bene, e profitto; ritornando al primo loro esercizio le due cattedre primarie di legge, e medicina da lungo tempo sospese. Nelle cattedre de' legisti si comprendono i seguenti lettori, cioè

Il lettore primario di pandette e jus pubblico.
Il lettore d' istituzione civile.
d' istituzione canonica.
d' istituzione criminale.
del decreto di Graziano.
del notariato.

Le cattedre degli artisti saranno composte de' lettori, come appresso, cioè

Lettore primario di medicina.
Lettore d' istituzione medica.
Altro d' istituzione medica.
di chirurgia.
di anatomia.
di chimica, e botanica.
di fisica generale, e particolare.
di matematica, ed idrostatica.
di logica, e metafisica.
di s. scrittura, e storia ecclesiastica
di dogmatica, e morale teologia.
di eloquenza.

### Capitolo II.

*De' requisiti de' lettori.*

Sia lecito a ciascuno di qualsivoglia patria, e nazione di poter concorrere a qualunque cattedra, purchè sia di religione cattolico, non minore di anni 30., ed abbia conseguito in qualche pubblica università il dottorato, o in teologia, o in legge, o in medicina. Gioverà ancora l'avere pubblicato alcuna opera di quella facoltà, a cui si concorre, ovvero l'aver dato pruova in altra guisa del suo ingegno, e valore. Più d'ogni altro dovrà considerarsi chi, oltre alle dette condizioni, avesse anche il merito d' esser lettore della università con lode, e con fama.

### Capitolo III.

*Del concorso e modo di eleggere i lettori.*

Se avverrà per qualunque caso, che alcuna cattedra rimanga vuota, sia cura del segretario, col permesso del collegio de' riformatori, ed a loro nome, di far tosto affiggere alle porte della università, ed in altri luoghi pubblici i soliti cartelli d'invito, dove si esprima la cattedra vacante, le materie da trattarsi, gli obblighi, gli stipendj, e le condizioni necessarie per ottenerla, prescrivendo lo spazio di un mese al concorso, che potrà da' riformatori prolungarsi secondo il bisogno.

Non sia lecito al segretario di ricevere pruove del merito de' concorrenti, se non sieno corredate dall'autorità pubblica, e sicurezza; ed oltracciò, unitamente co' presidenti di mese, usi ogni studio per avere anche da altre parti

contezza del pregio, e costumi di ciascuna persona: indi i presidenti di mesi rendano di tutto consapevole il collegio, dal quale nel destinato luogo adunato farassi con voti segreti l'elezione, e sia quello l'eletto, in cui sarà il maggior numero de' voti concorso, al quale dal collegio si spedirà la patente.

Restando vuota alcuna delle cattedre di legge, o di medicina, non si trascuri dal segretario di mandare a nome del collegio le lettere d'avviso per le prime città d'Italia, e d'Europa per fare noto a chiunque bramasse di conseguirla, le condizioni, che si richiedono, lo spazio stabilito al concorso, gli obblighi, e tutt' altro, com' è detto di sopra. E poichè saranno giunte le pruove nella maniera dianzi descritta, e procurate anche da altri luoghi sicure notizie del valore di ciascuno, dovrà il collegio adunarsi nel palazzo del signor cardinal legato nel giorno da lui prescritto, dove premesso un breve confronto, e giudizio del merito di ogni concorrente, si passi con voti segreti de' soli riformatori ad eleggere, tenendosi per legittimamente eletto, chi avrà il favore della maggior parte de' voti.

Dovrà l'elezione per lettera del segretario parteciparsi al nuovo primario lettore, come ancora il tempo, in cui debba incominciare il suo uffizio, la cui durata, e tutte le altre condizioni, che col consenso, ed approvazione del signor cardinale legato saranno stabilite.

## Capitolo IV.

*Del numero delle lezioni, e del tempo in cui leggeranno i lettori.*

Ogni anno si adunino tutti i lettori della università nel dì 3 di novembre avanti il collegio, e fattasi dal professore della s. scrittura, ed istoria ecclesiastica, a nome comune la professione della fede, di mano in mano secondo la precedenza del grado, giuri ciascuno di osservare gli statuti, e adempire diligentemente il proprio ufficio.

Diasi principio alle lezioni il dì 5 del detto mese, se non sia da festività impedito, seguitando sino alli 28 di giugno dell' anno seguente, e siano distribuite in guisa, che in detto spazio abbia ogni lettore compito il numero di cento lezioni pubbliche in cattedra. Per l'ore, e giorni delle lezioni di ciascuna facoltà, si osservi il giornale, che sarà pubblicato ogni anno al principio degli studj; e nel giorno innanzi alle prime lezioni si reciti dal professore di eloquenza, o da altro lettore per turno, una orazione latina, che sia come d' introduzione alle nuove lezioni. Non sia minore delle pubbliche il numero delle lezioni private, e domestiche; e queste ancora, se faccia mestieri, si accrescano a piacere de' lettori.

In ciascuna lezione, o sia pubblica, o sia privata, s'impieghi il tempo di un' ora, e mezza, ripartita in dettare, spiegare, e conferenza; e procuri ogni lettore d'ascoltare con piacevolezza, e risolvere i dubbj, e le questioni, che fossero dagli scolari proposte.

Se alcun lettore mancasse tre volte in un' anno all'obbligo delle lezioni, senza averne ottenuto licenza dal collegio, sia privato dell' ufficio, nè gli valga la scusa di grave infermità, o di qualsivoglia ancorchè legittimo impedimento: e nella stessa guisa sia punito chi non si guardasse, anche per una sol volta d' insegnare in pubblico, ed in privato dottrine contrarie alla religione, ed al buon costume.

## Capitolo V.

*Delle materie di ciascuna facoltà.*

Sarà l'ufficio del lettore primario legista di spiegare nello spazio di tre anni i tre digesti, e ne' giorni della settimana stabiliti dal collegio, il gius pubblico, e gli statuti della città di Ferrara.

Similmente il lettore del diritto canonico nel detto termine di tre anni debba avere spiegato tutte le decretali di Gregorio IX. con tal' ordine, cioè il primo, e secondo libro nel primo anno; il terzo libro nel secondo; il quarto, e quinto libro nel terzo.

Ancora le istituzioni civili, canoniche, e criminali s' insegnino a vicenda da' tre lettori in tre anni, come siegue

*Anno primo*

Primo lettore, civile
Secondo lettore, canonica
Terzo lettore, criminale

*Secondo*

Canonica
Criminale
Civile

*Terzo*

Criminale
Civile
Canonica.

Con questi esempj potrà il lettore del notariato dividere anch' esso in tre anni, ed in altrettante parti le materie, che si convengono alla sua professione, e nel primo anno trattare distintamente del numero, ed autorità de' tribunali di Ferrara, del modo di ordinare i giudizj, degli usi, riforme, e nuovi provvedimenti: Nel secondo mostrare le diverse materie, e forme nel rogarsi d' ogni sorta di contratti, e divisare nel terzo quanto è necessario per le solennità de' testamenti, codicilli, ed altre ultime disposizioni. Nel che fare potranno essergli di scorta la somma Rolandino, la pratica del Malucelli, e l'opera più fresca del Tombolini.

*Delle materie de' lettori artisti.*

Il lettore primario medico insegni medicina pratica divisa ne' trattati = De febribus.
De morbis capitis.
De morbis pectoris.
De morbis abdominis.
De morbis mulierum, et puerorum dividendoli nel corso di due anni nelle lezioni sì pubbliche, che private.

I lettori istitutisti distribuiscano in un biennio nelle lezioni così pubbliche, che private
La fisiologia, o delle parti del corpo umano.
La patologia, o de' mali in genere.
La semiottica, o de' segni in genere de' morbi.
La ygiene, o del conservare la salute.
La terapeutica, o de' rimedj.
Gli altri lettori ad arbitrio.

Il lettore, al quale si appartiene d' insegnare due diverse facoltà, serbi ad una le private lezioni, ed all' altra le pubbliche, come sarà ordinato nel giornale.

## Capitolo VI.

*Della precedenza de' lettori.*

Affinchè non sorga mai fra' lettori gara di maggioranza nè in privato, nè in pubblico, dovrà osservarsi quest' ordine. In tutti i tempi, ed in qualsivoglia occasione abbia il primo luogo il professore della s. scrittura, e storia ecclesiastica. Indi il lettore di teologia dogmatica, e morale; appresso i professori di legge, secondo il tempo della loro elezione; poscia i lettori di medicina col medesimo ordine. Succederanno a questi di grado, in grado il professore di logica, e metafisica, di matematica, ed idrostatica, di fisica, di eloquenza, di chimica e botanica, chirurgia, ed anatomia. I due lettori primarj finalmente sieno in ogni tempo preferiti a tutti gli altri della medesima facoltà.

## Capitolo VII.

*Del tempo delle letture.*

Ogni lettore seguiterà nell' ufficio lo spazio di tre anni; e benchè sia permesso al collegio di confermarlo, ad ogni modo non si dovrà simil grazia concedere, se non richiesta, e meritata, e con voti segreti. Si porgano a tal effetto le suppliche nel mese di luglio; passato il quale, chi non avrà chiesto, nè ottenuto d' essere confermato, s'abbia per dimesso dall' ufficio, e come vuota la cattedra.

## Capitolo VIII.

*Dell' abito de' lettori.*

Nel tempo delle lezioni, e nelle pubbliche funzioni della università, se saranno i lettori preti secolari, ovvero laici, usino l' abito talare, e la berretta in luogo del cappello. I lettori regolari abbiano il solo uso della berretta, senz' altra variazione nell' abito del loro istituto.

## Capitolo IX.

*Dello stipendio de' lettori.*

Sarà lo stipendio di ciascuno de' due lettori primarj la somma di scudi cinquecento: che se qualche eccellente, e nobil virtù trascendesse il merito, ed il valore comune, e fosse perciò il profitto della università manifesto, potranno i riformatori coll'approvazione del signor cardinale legato accrescerlo sino alli scudi settecento.

L' ordinario stipendio degli altri lettori si stabilisce come in appresso.

Lettore di s. scrittura, e storia ecclesiastica . . . . . . . . . . . Sc. 60
Teologia dogmatica, e morale 65
Istituzione civile . . . . . . 80

| | |
|---|---|
| Istituzione canonica . . . . . | 80 |
| Istituzione criminale . . . . . | 80 |
| Decreto di Graziano . . . . . | 80 |
| Notariato . . . . . . . . . . . | 70 |
| Istituzione medica . . . . . . | 80 |
| Altra simile . . . . . . . . . . | 80 |
| Logica, e metafisica . . . . . | 65 |
| Matematica, ed idrostatica . | 85 |
| Fisica . . . . . . . . . . . . . | 70 |
| Eloquenza. . . . . . . . . . . | 80 |
| Botanica, e chimica . . . . . | 70 |
| Chirurgia . . . . . . . . . . . | 70 |
| Anatomia . . . . . . . . . . . | 70 |

### Capitolo X.

*Degli accrescimenti.*

La frequenza, e il copioso numero degli scolari suol essere sicuro argomento del merito del lettore, maggiormente se sia per pubblica opinione, e fama confermato: e derivandone da ciò vantaggio, ed onore alla università, si dovrà dal collegio premiare con accrescere lo stipendio. Tal premio non si potrà chiedere, nè conseguire da chi non sia prima confermato nell' ufficio: non sia maggiore di scudi venti; ma crescendo il merito, non si vieta al collegio di concedere, nè al medesimo lettore di ottenere altre volte simili premj; purchè da un premio all' altro sia frapposto lo spazio di due anni almeno; e tutti i premj aggiunti all'annuale stipendio non eccedano la somma di scudi duecento. Questo capitolo non appartiene a' due lettori primarj, a' quali si è di sopra coll' ordinario stipendio bastevolmente provveduto.

### Capitolo XI.

*De' privilegj de' lettori.*

Hanno i sommi Pontefici conceduto altre volte a' pubblici professori d'essere immuni da ogni dazio, e gravezza, come ancora di portar qualsivoglia arme, salvo le nominatamente vietate per le costituzioni. Godranno anche per l' avvenire di simili grazie, e privilegj, come per l' innanzi; ed oltracciò sieno del tutto esenti da ogni ufficio della città, o sia per guerra, o sia per pestilenza, o sia per qualunque altro più stretto bisogno. Ancora dovendo torre in affitto alcuna casa per loro abitazione, in uguaglianza di condizioni, sieno ad ogni altro anteposti, e sia tenuto il padrone di concederla a quel giusto prezzo, che sarà giudicato; quando però sia solita d'appigionarsi, e non si volesse abitare dall' istesso padrone. Si permette loro similmente di potere allontanare dalle proprie abitazioni tutte quelle arti, che fossero di soverchio nojose, e di strepito, perchè non sia turbata la quiete tanto necessaria agli uomini di lettere: del qual privilegio si fa menzione ancora nelle leggi civili. Saranno sottoposti al giudice proprio della università, così nel civile, come nel criminale, quando però la somma, in quello, non ecceda cinquanta scudi, ed in questo, sieno i casi tanto leggieri, che non vi sia luogo, come dicesi, a pena di corpo afflittiva.

### Capitolo XII.

*Delle giubilazioni.*

Ogni lettore, che per lo spazio d'anni 30 avrà esercitato con lode il suo ufficio in una, o più facoltà, sia giubilato; ma non perda nulla, nè dello annuale stipendio, nè de' premj sino a quel tempo acquistati. Che se alcuno passati quindici, o venti anni, per infermità, o per altro caso inaspettato, e senza sua colpa non fosse più atto all' impiego, si lascia al giudizio de' riformatori il concedergli in tutto, o in parte l' annuale stipendio, togliendogli però qualunque premio ottenuto.

I lettori primarj, che nel corso di trent'anni avessero impiegato l'opera loro nel servizio della università, ovvero dopo quindici anni cadessero infermi, senza speranza di rilevarsi, dovranno essere contenti di ricevere dalla università un donativo annuale di scudi trecento per tutta la vita.

### Capitolo XIII.

*Degli scolari.*

*REQUISITI*

Potrà ognuno essere ricevuto agli studj nella università, sol che non manchi delle seguenti condizioni. Sia di religione cattolica; di buon costume; non processato in alcun tribunale; ed abbia studiato altrove la grammatica, e l'umanità. Tutte queste pruove avvalorate dal pubblico testimonio si presentino a' riformatori, aggiunto il nome, cognome, patria, e quella facoltà, alla quale vorrebbe lo scolare applicarsi; e giudicato degno, s' indirizzi da' riformatori al lettore, affinchè trovato abile nell' esame,

si riceva nella scuola, e sia il di lui nome descritto nel catalogo degli scolari, che ciascun' anno dovrà pubblicarsi.

*Vesti degli scolari, studio, e loro contegno nella università.*

Ancorchè non si voglia far legge alcuna intorno alle vesti degli scolari, tutta volta si esortano ad usare quanto più si può modestia, e semplicità negli abiti, perchè si tolga fra loro l'emulazione, e il più grave dispendio alle famiglie. Niuno ardisca dentro l'università, e molto meno al tempo delle lezioni di far crocchi, e cicalamenti, da'quali fossero frastornati i lettori nel loro ufficio, e gli altri scolari distolti dallo studio. Maggior modestia, e contegno dovranno usare nella scuola, guardandosi di non impedire, nè d'affrettare la fine della lezione con bisbiglio, calpestìo de' piedi, od altro frastuono. Chiunque avvertito altre volte di simili falli, non saprà emendarsene, sia dai riformatori presidenti di mese bandito per sempre dalla università. Colla stessa pena saranno puniti i giuochi di qualunque sorta, sebbene fatti per passatempi, le risse, ed ogni altro scandalo, benchè per la prima volta commesso. Pongano finalmente ogni cura gli scolari nel rispettare il collegio dei riformatori, i lettori, ed ogni altra persona, sebbene inferiore, addetta alla università.

*Privilegj.*

Di tutte le grazie, e privilegj conceduti a' lettori nel capitolo XI. saranno ugualmente partecipi gli scolari.

## Capitolo XIV.

*Delle conclusioni pubbliche, e private.*

Per esercitarsi, ed insieme dar saggio del loro ingegno, e profitto sia libero agli scolari di sostenere dispute pubbliche, purchè ne sia prima inteso il collegio, e volendole intitolare a qualche personaggio loro amorevole, e protettore, non si contrasti.

Il tempo, e l'ora del sostenere le conclusioni pubbliche, se saranno intitolate al sommo Pontefice, ovvero personaggi lontani, dovrà stabilirsi da chi farà le loro veci. Se sieno dedicate al signor cardinal legato, arcivescovo, o vicelegato, o al giudice, e maestrato de'savj, dipenderà dal loro arbitrio; e per quelle fatte in onore de'santi, o di private persone, s'attenda l'ora dal collegio prescritta. Intervenga sempre il collegio alle conclusioni pubbliche in compagnia di tutti i lettori; ed affinchè non sia grave l'aspettare, venuta l'ora stabilita, e trovandosi presenti due riformatori col segretario, si dia principio, come se quivi fosse l' intiero collegio. Il luogo destinato per tal funzione sarà la gran sala, dove il collegio terrà il sito più degno, non si distinguendo in altro il giudice de' savj, che coll'occupare il primo luogo in sedia del tutto uguale alle altre de' riformatori.

Ben si deve avvertire, che dove le dispute sieno intitolate al signor cardinal legato, ed altri personaggi detti di sopra, ovvero unitamente al magistrato, e giudice de'savj, terranno questi il lato destro, ed il collegio il sinistro: laddove se saranno dedicate al solo giudice de'savj, ovvero ad alcuno de'riformatori, questi sederanno in compagnia de'colleghi a' loro luoghi senza altra distinzione. Il luogo del nobile, ovvero dell'ecclesiastico graduato, a cui si dedicassero le conclusioni, sia fra l'ultimo riformatore, ed il segretario del collegio.

Se il giorno di tali conclusioni non fosse vacanza nell' università, si sospendano per quel tempo tutte le lezioni. Sarà cura de' bidelli l' invitare i lettori, ed altri; e d' impedire i contrasti, che potessero accendersi per conto delle sedie, e de' luoghi: provvederà il collegio, che dagli scolari, per queste occasioni, non si profonda in vane spese, e che col soverchio questionar pertinace, non si allunghi, oltre al convenevole, il tempo conceduto a così lodevoli, ed onorati cimenti.

Di non minor profitto saranno le dispute private, da farsi almeno una volta il mese in ogni scuola, e facoltà, senza concorso, nè pompa, e colla sola presenza del proprio lettore, e de'presidenti di mese, quando sia loro a grado d' intervenirvi. In queste disputeranno soltanto gli scolari addetti alla medesima facoltà, e per tal tempo sarà l'ordinaria lezione sospesa.

## Capitolo XV.

*Del dottorato.*

Tutti gli scolari ferraresi, ed altri dello stato ecclesiastico, che ambissero di conseguire il dottorato nella fa-

coltà teologica, o nella ragione civile, e canonica, o nell'arte medica, sieno tenuti di frequentare per lo spazio di quattro anni non interrotti le scuole dell'università; d'intervenire ogni anno ad ottanta lezioni pubbliche, ed altrettante domestiche, e di sostenere una volta almeno in tutto il detto spazio pubblicamente le dispute. Senza tutte queste condizioni, certificate con pubbliche testimonianze de'riformatori, non sia lecito per l'avvenire ad alcun collegio della città, di conferire il dottorato, come cosa espressamente vietata dalla costituzione apostolica §. 25. Da simili obblighi saranno dispensati gli scolari stranieri, verso de'quali non si disdice a' collegj della città di valersi delle loro facoltà usate.

## Capitolo XVI.

*Del notariato.*

§. 15. Attendentes insuper, ut præfertur, prædictum studium generale, sive universitatem Ferrasiensem, iis præsertim temporibus, scholarum frequentia, omnique scientiarum genere floruisse, cum præstanti, atque excellenti ingenio viri præditi magna mercede conducti, in ea merebant, qui propterea primarii professores habebantur, ac dicebantur; eorum vero dimissionem, ac cessationem ob inopiam pecuniæ, vel illius in publicas civitatis necessitates erogationem secutam, non inter postremas inclinationis, ac decrementi ejusdem studii generalis, sive universitatis Ferrariensis causas recenseri, idcirco volumus, jubemus, atque præcipimus, ut reformatores studii generalis, sive universitatis Ferrariensis a Nobis, ut supra, constituti, et deputati, atque in posterum nominandi, quum primum eorum munerum, atque officiorum quasi possessionem nacti fuerint, in eam curam summopere incumbant, ut pro modo pecuniæ, et facultatum copia, ejusdem studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, quantocius fieri poterit, gemini primarii professores, alter juris scientiæ, alter medicæ artis peritissimus, ut olim, ad navandam strenue operam in præfato generali studio, sive universitate Ferrariensi, iterum alliciantur, advocentur, et conducantur, prærogativis, conditionibus, formis, stipendiis, aliisque, ut in legibus, et statutis superius descriptis habetur, ad unguem servatis.

Vetus inter magistratum sapientum, et studii reformatores transactio stipulata, rescinditur.

§. 16. Quoniam vero, ut pariter præfertur, gravibus, atque diuturnis inter magistratum sapientum civitatis Nostræ Ferrariæ, ac reformatores studii generalis, sive universitatis ejusdem civitatis, propter promiscuam rerum, bonorumque hinc inde administrationem, vigentibus olim controversiis, ita inter partes transactum fuit anno 1647, ut reformatores studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, ex illius redditibus pendere quotannis, ac perpetuo coacti sint magistratui sapientum nuncupato summam scut. rom. 727, 27, 4 sive quantitatem scut. ferrarien. 1000., ex eoque evenerit, ut primariis, accersendis, conducendisque professoribus, annui studii generalis redditus impares prorsus haberentur: quamquam nobis omnino incompertum sit, rite ne, an secus transactio constiterit; quum tamen satis congruum videatur, ut incommodis, ac necessitatibus studii generalis, et præclara commoda in civitatem promanant, ipsa præsertim civitas mederi, atque opitulari debeat: eapropter ne hinc etiam moræ, aut impedimenti conducendis, restituendisque primariis professoribus causa in posterum supersit aliqua, motu proprio ex certa scientia, ac matura animi delibe-

ratione Nostris, ac de potestatis plenitudine, earundem præsentium tenore, concordiam, conventionem, seu transactionem ejusmodi inter magistratum sapientum civitatis Nostræ Ferrariæ, et studium generale, ejusque reformatores, ex quavis causa, et titulo, et quacumque auctoritate stipulatam anno 1647. abrogamus, abolemus, ac funditus tollimus, studiumque generale, sive universitatem Ferrariensem, ejusque in posterum reformatores, a solutione præfatæ pensionis scut. rom. 727. 27. 4., sive scut. Ferrarien. 1000. præfato magistratui perpetuo absolvimus, eximimus, et liberamus.

Civitati Ferrariæ, ne quid, rescissa transactione, de necessariis sumptibus interea decedat, alia ratione consulitur.

§. 17. Ne autem dum studio generali consulimus, de eadem civitate Nostra Ferrariæ male mereri quodammodo videamur, eamque, sublata, abrogataque, ut supra, transactione, in maximas pecuniæ difficultates redigi contingat, unde publicis, ac necessariis sumptibus in præsens supplere non possit, statuimus, atque ordinamus, ut ex publicis vectigalibus nuncupatis = *del Sussidio, e Novissima* =, itemque ex aliis denominatis = *del Vivo, e del Morto* = a romanis Pontificibus Clemente VIII., Urbano VIII, atque Innocentio X. prædecessoribus Nostris jampridem civitati Nostræ Ferrariæ dono datis, liberaliterque concessis, et a fel. rec. Bened. pp. XIV. prædecessore Nostro in solutionem fructuum, atque in extinctionem sortis locorum montium, ac præsertim sexti montis nuncupati *Sanità* adsignatis, et a Nobis in easdem causas iterum ad certum tempus prorogatis, ac confirmatis, ut ex nostris literis datis 25. novembris 1769., liceat singulis annis quantitatem scut. rom. 1000. deducere, et in eas causas publicas erogare, in quas erogabatur annua pensio a præfato studio generali, sive illius reformatoribus, vigente olim transactione, soluta: et quum ob annuam ejusdem summæ scut. 1000. ex dictis vectigalibus faciendam deductionem, tam facilis, atque expedita præfati montis sexti vulgo dicti *Sanità* extinctio, sive illius debiti dimissio, atque solutio, ut in memoratis nostris literis datis 25. novembris 1769. præscribitur, haberi non possit, idcirco prædictorum vectigalium adsignationem, et prorogationem in eandem solutionis fructuum, ac extinctionis sortis sexti montis *Sanità* nuncupati causam, ad certum tempus alias a Nobis, ut supra præscriptum, tamdiu producimus, atque prorogamus, quoad ex reliquis annuis fructibus, sive redditibus præfatorum vectigalium = *del Sussidio, e Novissima* = itemque = *del Vivo, e del Morto* = facta prius deductione annuæ quantitatis scut. 1000., prædicti montis extinctio, sive illius debiti dimissio, atque solutio plene, atque integre secuta, ac perfecta non sit, non obstantibus præfatis literis apostolicis piæ record. Bened. pp. XIV., ac nostris datis 25. novembris 1769., cæterisque quibuscumque.

Reformatorum collegio judicis privativi electio conceditur.

§. 18. Volumus insuper, ut ad formam legum, et statutorum, ut supra, reformatores jus habeant eligendi, ac nominandi, vel ex publicis professoribus ejusdem studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, vel ex aliis graduatis, et doctoribus, dummodo in eadem civitate nostra Ferrariensi degant, ac commorentur, unum judicem, qui privative quoad alios judices facultatem habeat judicandi, ac decidendi lites, et controversias tam civiles, quam criminales contra bona, et personas omnium, et singulorum reformatorum, itemque omnium, et singulorum lectorum, et professorum, qui in eodem generali studio, sive universitate Ferrariensi pro tempore operam navabunt, nec non omnium, et singulorum scholarium in eadem generali universitate studentium, aliorumque ministrorum, et officialium, quocumque nomine appellentur servitio dictæ universitatis, et studio generali salaria, et stipendia recipientium in posterum excitandas, ac promovendas.

Præfinitur summa, de qua judex privativus in civilibus, et passivis causis cognoscat.

§. 19. Quod autem pertinet ad genera, et qualitates causarum in quibus personæ prædictæ privilegio fori frui, et gaudere debebunt, Nos in civilibus quidem causis passivas ab activis, in criminalibus vero leviores a gravioribus distinguentes, volumus pariter, et statuimus, quod in causis civilibus privilegium fori memoratis personis nullatenus in activis, sed in passivis dumtaxat causis hujusmodi summam scut. 50. ferrariensium non excedentibus, et in prima tantum instantia, suffragetur, non obstantibus in contrarium quibuscumque privilegiis, et indultis per quoscumque tam ante, quam post devolutionem civitatis nostræ Ferrariæ eidem generali studio concessis, et confirmatis, nec non literis apostolicis, ac præsertim piæ record. Clementis pp. VIII. prædecessoris nostri incipien. = *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitati* = datis Romæ apud s. Marcum sub die 25. octobris 1602. quibus omnibus, et singulis eorum tenores præsentibus pro expressis, et ad verbum pro insertis habentes, ad effectum præmis-

sorum dumtaxat, alias in suo robore permansuris, specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Declarantes nihilominus eas quoque causas passivas censendas esse, in quibus privilegiatus petat alicujus spolii reintegrationem, vel refectionem alicujus damni in propriis bonis sibi quomodolibet ab aliis illati.

Ejusdem cognitio in criminalibus, ad leviores causas cohibetur.

§. 20. Insuper causarum criminalium leviorum cognitionem, earum nempe in quibus secundum juris, aut statutorum civitatis, vel bannimentorum generalium legationis Ferrariensis, aut constitutionum apostolicarum respective dispositionem alia gravior pœna, quam pecuniaria, vel simplicis exilii constituta non reperitur, eidem judici privativo, ut supra nominando, atque eligendo attribuimus, sine ulla differentia, aut distinctione, utrum causæ hujusmodi activæ sint, vel passivæ, et an inter duos privilegiatos, an vero inter privilegiatum ex una, et extraneum non privilegiatum ex altera parte instituantur, atque agitentur; reservato tamen semper reo condemnato appellationis beneficio, prout de jure, et quatenus de jure.

Graviorum causarum quæstiones legatis apostolicis, aliisque reservantur.

§. 21. Contra vero causarum criminalium graviorum; in quibus nempe secundum juris statutorum, bannimentorum, ac constitutionum prædictarum dispositionem, pœna corporis afflictiva reorum criminibus imposita reperitur, omnimodam cognitionem, processusque desuper habendos, nostris, et Sedis apostolicæ pro tempore legatis, aut vice-legatis, eorumque criminali congregationi omnino reservamus.

A sententia judicis privativi, nonnisi ad aliquem ex lectoribus universitatis provocandum.

§. 22. In omnibus autem superius expressis causis, quas judicis generalis studii, sive univeritatis foro in prima instantia, et in prædicta summa cognoscendas, et decidendas in posterum attribuimus, volumus quod eidem judici non cumulativa tantum, sed privativa vere competat jurisdictio, salvo tamen jure Ordinarii, in iis, quæ pertinent ad morum correctionem. Verumtamen postquam judex studii generalis prædictus super hujusmodi privilegiatorum causis civilibus in prima instantia definitive pronunciaverit, si contingat easdem causas in secunda instantia in gradu recursus adhuc revidendas, sive retractandas esse, volumus, et per easdem præsentes mandamus, ut eædem causæ recurribiles a nostris, et apostolicæ Sedis pro tempore legatis, aut vice-legatis, sive illorum signatura in eadem civitate nostra Ferrariæ commorantibus, nonnisi alteri ex professoribus, sive lectoribus ejusdem studii generalis, sive universitatis Ferrariensis actu existentibus, ad formam prædictarum legum, et statutorum committi valeant.

Ne judex privativus jus dicat in causis fiscalibus, nec in aliis, quam supra expressis.

§. 23. Ceterum ipsi judici privativo districtius inhibemus, ne in causis fiscalibus, et interesse fisci quomodolibet tangentibus, quas a privilegio fori hujusmodi penitus excludimus, et excipimus, nec in aliis quibuscumque causis præter superius expressas, etiam de consensu partium, ullatenus se intromittere, vel ingerere quovis modo audeat, seu præsumat.

Munera quædam, et officia iis dumtaxat, qui universitatis studia frequentaverint, in posterum deferenda.

§. 24. Quoniam vero nihil æque homines a literarum, bonarumque artium studiis deterret, quam si virtutis præmio, aliorum libidine magis, quam certa ulla ratione dari, atque collocari intelligant; propterea quum Nobis maxime cordi sit, ut studium generale, sive universitas Ferrariensis deinceps a quamplurimis frequentetur, nihilque eorum, quæ ad id conducere posse arbitramur, prætermittere volentes, motu, scientia, et potestate similibus statuimus, atque jubemus, munera, et officia publica per magnum consilium civitatis nostræ Ferrariæ, vel per judicem, magistratumque sapientum, vel per congregationem nuncupatam = *de' Lavorieri* =, vel per aliud quodcumque collegium ejusdem civitatis conferri solita, et quinque ab hinc annis vacatura iis dumtaxat personis conferantur, qui in albo scholarium præfati studii generalis, sive universitatis Ferrariensis descripti ceteras quoque necessarias conditiones in memoratis legibus, ac statutis expressas, atque præscriptas adamussim impleverint. Hujusmodi autem publicorum munerum nomine intelligimus: *tutte le giudicature, consultorati, assessorati, e podesterie tanto della città, che del distretto, le nomine de' governatori da presentarsi alla sagra Consulta; tutte le segreterie pubbliche, comprese quelle della città, le giudicature, e i notariati d'Argine* = Proindeque magno consilio, judici, et magistratui sapientum, atque congregationi præfatis, aliisque in eadem civitate congregationibus, sive collegiis quomodolibet institutis districte inhibemus, atque interdicimus, ne alios, aut alio modo, quam supra expresso, ad prædicta munera, et officia publica quomodolibet posthac vacatura eligere, nominare, præsentare, deputare, subrogare audeant, vel præsumant, omnesque, et singulas futuras electiones, nominationes, præsentationes, deputationes, subrogatio-

nes, si modo, aliter quam a nobis, ut supra præscriptum est, haberi contigerit, annullamus, irritamus, ac pro nullis, irritis, et infectis censeri, et reputari volumus, ac declaramus, atque jus eligendi, nominandi, præsentandi, deputandi singulis contraventionis casibus, et vicibus, ad reformatores, sive illorum collegium devolvi, transferri, spectare, ac pertinere earundem præsentium tenore decernimus, atque mandamus, atque hæc omnia inviolabiliter servari præcipimus, atque jubemus, privilegiis, indultis, juribus iisdem magno consilio, judici, et magistratui sapientum, congregationibus, collegiis quomodolibet, ac per quoscumque concessis, et approbatis, aliisque quibuscumque nequaquam obstantibus.

Ne contra formam in statutis præscriptam collegia doctorum ferrariensium gradus, et magisteria conferant scholaribus subditis.

§. 25. Sancimus insuper, atque disponimus, ne doctorum collegia in eadem civitate Nostra Ferrariæ erecta, atque instituta, scholaribus ferrariensibus, aliisque nostro, ac sanctæ Sedis in temporalibus dominio, atque imperio originariis, ac naturalibus subditis lauream, sive doctoratus insignia concedere, tribuere, aut conferre in posterum valeant, ac possint, nisi conditionibus, modis, ac formis adhibitis, atque omnino servatis, prout in adnexis legibus, atque statutis speciatim cavetur, atque disponitur. Quod si aliquem contra formam ibidem a Nobis præscriptam doctoratus insignia, lauream que assequi in futurum contingat, decernimus, atque pronunciamus, juribus, honorificentiis, et prærogativis aliis doctoribus competentibus, ac debitis nullatenus frui, aut potiri debere, eumque a publicis muneribus, et officiis assequendis, atque exercendis perpetuo arcemus, atque excludimus: ipsis vero doctorum collegiis in quolibet hujusmodi contraventionis casu, facultatem omnem, ac jus conferendi lauream, ac doctoratus insignia tum ferrariensibus, tum aliis Nostræ, ac Sedis apostolicæ ditioni, ut supra subjectis, per quinquennium integrum adimimus, atque suspendimus, et ad collegium reformatorum deferri, et spectare debere declaramus, atque statuimus. Nolumus tamen, ut præmissa ad eos casus porrigantur, in quibus de conferenda laurea alienigenis, atque exteris agatur; in his enim tempus, modum, atque consuetudinem ab eisdem doctorum collegiis hactenus servatam, ac retentam, etiam in futurum observari, ac retineri permittimus, atque concedimus.

Notariorum collegio, ne se cus quam in statutis cautum est, notarios instituat, indicta poena, prohibetur.

§. 26. Notariorum item collegio in prædicta civitate nostra Ferrariæ erecto, atque instituto pariter districte prohibemus, ne quem in posterum notarium creare, constituere, efficere, in notariorum albo describere, aut in collegium cooptare, ac recipere audeat, vel præsumat, nisi consentanee ad formam, ac regulas in insertis identidem legibus, atque statutis expressas, atque præscriptas, irritumque, et inane decernimus, quidquid secus fieri contingat, ipsumque collegium notariorum in quocumque contraventionis casu, jure creandi notarios, suisque omnibus facultatibus, prærogativis, et privilegiis in perpetuum privamus, ac destituimus, eaque omnia, et singula jura, collegio reformatorum adscribimus, attribuimus, ac perpetuo unimus, atque concedimus.

Bibliotheca, ejusque redituum administratio, universitati, et reformatorum collegio, privative tribuitur.

§. 27. Et quoniam studium generale, sive universitas quæcumque necessaria librorum suppellectile carere non potest, unde, et indocti erudiantur, et eruditi eruditiores evadant, ob eamque causam jampridem ære publico ædificatam, instructamque pulcherrimam bibliothecam in eadem civitate nostra Ferrariæ nuper Nobis innotuerit, annuo quoque censu ditatam ex vitrorum publico vectigali percipiendo, ejusque regimen, atque administrationem peculiari cuidam congregationi fuisse concreditam; ut latius in literis apostolicis piæ rec. Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri continetur, datis Romæ apud sanctam Mariam majorem die prima aprilis 1751. animadvertentes propterea hanc etiam studii generalis, sive universitatis Ferrariensis partem esse, nec exiguam, adeoque uni, eidemque potestati, atque regimini subesse oportere, cum præsertim ea sit omnium fere publicarum procurationum conditio, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur; idcirco præfatam bibliothecam, ejusque bona, res, proprietates, et quæcumque jura tam quæsita, quam quærenda a jurisdictione, subjectione, administratione, et gubernatione prædictæ congregationis perpetuo sejungimus, avellimus, segregamus, atque eximimus, eamque cum omnibus, ac singulis bonis, rebus, proprietatibus, et juribus quibuscumque in posterum generali studio, sive universitati Ferrariensi aggregamus, adjicimus, atque unimus, ac collegio reformatorum regendam, gubernandam, administrandam, plene, integre, ac privative quoad omnes alios tradimus, atque permittimus, modis, formis, regulis, ordine, et conditionibus prout leges, et adnexa statuta hac

in parte disponunt, omnino servatis, atque adhibitis. Inhibentes insuper tum eidem congregationi, tum communitati civitatis Nostræ Ferrariæ, ne in illius redditnum administratione se se ingerere, neque quidquam ex vitrorum vectigali sibi in posterum ex quacumque causa, titulo, aut colore adrogare audeant, vel præsumant etiam causa impensarum, vel redintegrationum, tam a præfata bibliotheca, quam a generali studio, sive universitate Ferrariensi debitarum, non obstantibus supradictis literis apostolicis fel. rec. Benedicti pp. XIV., aliisque quibuscumque. Sancimus pariter atque jubemus, ut post finitum tempus currentis vectigalis vitrorum conductionis, illius locandi facultas, atque arbitrium ad ipsum collegium reformatorum in posterum spectet, atque pertineat privative quoad alios quoscumque, ejusque redditus annuos, tam præsentes, quam futuros in manutentionem atque ampliationem ejusdem bibliothecæ dumtaxat cedant, atque erogentur, quemadmodum in supra descriptis legibus, atque statutis disponitur; annua quoque pensione scut. 78. 75. hactenus studio generali, sive universitati Ferrariensi solvi solita, perpetuo eidem bibliothecæ remissa, et in supradictas causas in posterum eroganda. Quibuscumque non obstantibus.

Andreæ Barotti bibliothecæ custodi emerito stipendium decernitur, ejusque filius in munere substituitur.

§. 28. Quia vero, sicut accepimus, ab ipsa bibliothecæ erectione, et fundatione, dilectus filius Johannes Andreas Barotti civis ferrariensis J. U. D., ac de literis, et de patria egregie meritus, custodis munere diligentissime functus est, cujus vestigiis, et exemplis futuros quoscumque in eodem munere successores insistere optandum maxime foret; Nos idcirco præclara illius merita, diuturnosque exantlatos labores honesto aliquo præmio munerari volentes, eundem tanquam bibliothecæ custodem emeritum, et cum omnibus, ac singulis honoribus, ac etiam cum toto, atque integro stipendio in supradictis legibus, et statutis adsignato, et constituto, quandiu in humanis erit, per præsentes renunciamus, et gaudere, frui, potiri liberaliter concedimus, ac dilectum pariter filium presbyterum Cæsarem prædicti Johannis filium, ejusdem bibliothecæ custodem creamus, eligimus, et nominamus, eique annuum stipendium post obitum patris, prout in memoratis legibus, et statutis disponitur, in posterum adsignamus, ac constituimus.

Pinacotheca a magistratu Sapientum, ad collegium transfertur.

§. 29. Pinacothecam quoque, sive museum antiquorum numismatum, aliarumque rerum copia, varietate, et raritate insigne, et a Vincentio Bellini cive ferrariensi collectum, atque dispositum, certisque pactis, atque conditionibus civitati Ferrariæ, alias cessum, sive venditum, cum melius nusquam esse possit, quam cum bonis artibus, quæ sese invicem illustrant, ac mutuo adjuvant, eapropter a civitatis cura, ad studium generale transferimus, quo aucto, atque ornato, ipsa quoque civitas multo erit ornatior, et in collegii reformatorum tutelam, clientelam, et potestatem tradimus cum omnibus, ac singulis juribus, et actionibus, pactis quoque, oneribus, ac conditionibus alias inter civitatem, et venditorem, seu cedentem initis, atque stipulatis, ceterisque ad præfatarum legum, et statutorum præscriptum in futurum servandis.

Academia del disegno reformatorum potestati permittitur, iis firmanda legibus, quas ipsi in posterum sciverint.

§. 30. Aliarum quoque liberalium artium curam, picturæ scilicet, sculpturæ, et architecturæ, quas omnes complectitur academia vulgo nuncupata *del disegno*, publico civitatis Ferrariæ sumptu anno 1736. instituta ab ipsius civitatis magistratuum cura, et subjectione segregamus, eamque præfato reformatorum collegio plene, integre, et perpetuo subjicimus; ita tamen, ut quam annuam præstationem scutorum 100. hactenus civitas eidem academiæ præstare consuevit, futuris quoque perpetuis temporibus, in hanc causam, reformatorum collegio, sine aliqua mora, aut exceptione persolvere teneatur, quibuscumque non obstantibus. Cum autem, ut accepimus ordinationes quædam, sive regulæ, ad usum ejusdem academiæ in vulgus editæ sint, ac typis ferrariensibus prodierint anno 1759., quæ forsitan cum legibus, et statutis præfati studii generalis, sive universitatis Ferrariensis hic adnexis quoad ordinem, tempus, aliaque cohærere non possunt; idcirco ne sese invicem hujusmodi leges, statuta, ordinationes, et regulæ impediant, omnimodam, atque amplissimam eidem collegio potestatem, atque auctoritatem, novas præscribendi regulas in prædicta academia in posterum servandas, antiquis in totum, vel in parte, ut magis expedire videbitur, abrogatis, earumdem præsentium tenore concedimus, easque ex integro compositas, atque descriptas, dummodo tamen prius a dilecto filio magistro palatii Nostri apostolici, si in urbe, si vero extra eandem urbem regulæ, et ordinationes hujusmodi im-

primantur, ab Ordinariis locorum, et hæreticæ pravitatis inquisitoribus respective approbatæ sint, nunc pro tunc adprobamus, confirmamus, eandemque obligandi vim, efficaciam, robur, legibus, et statutis studii generalis, sive universitatis Ferrariensis perpetuo adjicimus, et ut a nemine augeri, ampliari, corrigi, aut mutari valeant, sancimus, atque prohibemus, quibuscumque non obstantibus.

Deputatio judicis executoris.

§. 31. Quo circa præfato Hieronymo cardinali moderno Nostro, et apostolicæ Sedis in eadem civitate Nostra, et ducatu Ferrariensi de latere legato, per hæc apostolica scripta mandamus, ut statim ac præsentes Nostræ literæ publicatæ fuerint, nostro nomine, nostraque apostolica auctoritate, per se, vel per alium, sive alios in eadem civitate Nostra Ferrariæ deputandos, modernum magistrum sapientum, atque congregationem almi studii Ferrariensis, ejusque actuales reformatores, præmissa ab eis omnium, et singulorum bonorum, jurium, proprietatum, rerum, pecuniarum, librorum, scripturarum, aliorumque ad prædictam universitatem spectantium dimissione, restitutione, et effectiva traditione, et consignatione, ab ulteriori ejusdem almi studii directione, procuratione, et administratione, plene, integre, ac perpetuo eximat, liberet, atque absolvat, unoque, et eodem tempore, judicem sapientum actu existentem, et alios quinque, ut supra a Nobis nominatos, ac in novum reformatorum collegium una cum secretario, pariter ut supra a Nobis designato, adscitos in veram, actualem, naturalem, seu civilem, omnium, et singularum rerum, bonorum, proprietatum, jurium, actionum, et pertinentiarum quarumcumque præfati studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, ac etiam bibliothecæ, musei, et academiæ nuncupatæ = *del disegno* = ut supra possessionem, vel quasi, privative quoad alios quoscumque inducat, ac immittat, amplissima, et omnimoda super eodem studio generali, sive universitate Ferrariensi, ejusque personis, bonis, juribus, pertinentiis, jurisdictione, administratione, et potestate ad formam præmissarum legum, statutorum, nec non præsentis constitutionis tributa, atque concessa. Emenso autem currentis anni scholastici spatio, lectores quoque tam ordinarios, quam extraordinarios, ac etiam honorarios, et tam actu legentes, quam emeritos, sive jubilatos, sive omnes, sive plures, sive paucos, vel cum toto, vel cum stipendii parte, ac etiam augmentis hactenus acquisitis, prout magis illi expedire videbitur a studio generali, sive universitate Ferrariensi, muneribus in eadem hactenus exercitis pari nostro nomine, atque apostolica auctoritate dimittat, aliosque in eorum locum eligat, nominet, atque substituat, ac præsertim judicem privativum ex his deputet, atque constituat; ita tamen, ut vel noviter electi, ac subrogati, vel veteres retenti ac confirmati, nonnisi a tempore secutæ electionis, vel habitæ confirmationis suorum munerum initium auspicentur, ac repetant, eodemque arbitrio, auctoritate et potestate in reliquis omnibus, ac singulis ministris, officialibus, aliisque quomodolibet studio generali, sive universitati Ferrariensi hactenus addictis, vel ab eadem actu stipendia percipientibus, non tamen ipso Vincentio Bellini actualiter custode, in posterum dimittendis, ac retinendis, integre, plene, atque amplissime utatur, potiatur. Ac demum, ut quibusdam ex lectoribus, seu professoribus ordinariis ab eo eligendis, nominandis, vel deputandis annuum stipendium in majori summa, quam per adnexas leges, et statuta disponitur, juxta personarum merita, qualitates, et circumstantias ex integro adsignare, et constituere possit, ac valeat simili nostro nomine, atque auctoritate concedimus, atque permittimus. Quæ omnia, et singula, ut sedulo, accurate, mature, ac diligenter ordinare, perficere, et usque ad exitum perducere valeat tantum temporis spatium a die publicationis præsentium inchoandum, earundem tenore præfinimus, ac præstituimus, quousque sequentis anni scholastici initio recurrente, rebus omnibus ad tramites insertarum legum, et statutorum, itemque præsentis constitutionis in eodem studio generali dispositis, ac distributis perpetuam illarum firmitatem, diuturnitatem, ac progressum feliciter auspicetur, ac etiamsi munus, et facultates Sedis apostolicæ de latere in eadem civitate Nostra Ferrariæ pro tempore legati eidem concessas, interea deficere, et cessare, novumque in ejus locum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem a Nobis designari, eligi, ac deputari contingat, nihilominus præmissas omnes, et singulas facultates, eidem tamquam speciali apostolico delegato, et quoad effectum præmissorum dumtaxat in prædicta civitate specialiter constituto per

præsentes innovamus, confirmamus, et per totum prædictum spatium prorogamus, non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ præservativæ.

§. 32. Decernentes præsentes Nostras, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ propter quas præsentes emanaverint adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, quamvis juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu notari, imputari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, et functuros; sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 33. Non obstantibus supradictis Nostris, et Bonifacii IX., Clementis VIII., Urbani VIII., Innocentii X., et Benedicti XIV. apostolicis literis, nec non quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, ac synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, itemque transactione 1647., et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis, etiam in corpore juris clausis, aut literis apostolicis, prædictis magno consilio, magistratui sapientum, congregationi almi studii, collegiis doctorum, et notariorum dictæ civitatis Ferrariæ, et quibusvis aliis personis, collegiis, locis, universitatibus, aliisque quibuslibet specifica, et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum plenissime, et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio, et fides habenda transumptis.

§. 34. Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad aliorum notitiam facilius deducantur, ne quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta ad valvas archiepiscopalis ecclesiæ ejusdem civitatis Nostræ Ferrariæ, et castri, curiæque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis de latere in eadem civitate pro tempore legati; nec non palatii, et curiæ archiepiscopalis, et ad valvas palatii vulgo *del Paradiso* studii generalis, sive universitatis Ferrariensis, aliisque locis, ut moris est, publicari, et affigi; sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos quos concernunt, seu concernent in futurum perinde af-

ficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent. Utque earundem præsentium transumptis, et exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, seu universitatis prædictæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 35. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostram confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, anno incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo primo, sexto idus aprilis, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 15. aprilis 1771. Anno II.

## CXVII.

Prohibetur sub pœna excommunicationis, et quoad regulares privationis vocis activæ, et passivæ ne extrahantur scripturæ ex archivio sanctæ Mariæ de Candelaria ordinis prædicatorum insulæ de Tanerifa Canariensis diœcesis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Preces porrectæ.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prior, et fratres ordinis prædicatorum conventus sanctæ Mariæ de Candelaria nuncupat. insulæ de Tanerifa Canariensis diœcesis, quod cum ipsi archivium, in quo diplomata, scripturæ, cæteraque monumenta ad ejusdem conventus fundationem, et statum, illiusque bona mobilia, et immobilia, et sacra supellectilia pertinentia asservantur, non sine gravi impensa tandem compleverint; dicti vero exponentes præmissorum omnium conservationi, et manutentioni a Nobis provideri summopere desiderant.

Concessio gratiæ, cum sanctione poenali.

§. 2. Nos igitur specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis provincialibus, ac dicti conventus prioribus, aliisque fratribus, et personis quacumque auctoritate, vel superioritate fungentibus, et functuris, et cujuscumque status, gradus, et conditionis, præeminentiæ, et dignitatis nunc, et pro tempore existentibus, ne ullo unquam tempore diplomata, monumenta, ac quascumque scripturas, quinterna, et folia cujuscumque generis sint in dicto archivio recondita nunc, et asservata, ac in posterum recondenda, et asservanda ab archivio hujusmodi extrahere, commodare, seu asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur seu asportentur permittere, aut consentire sub quovis quæsito colore, prætextu, causa, vel ingenio ipsi audeant, seu quovis modo præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ, et quoad regulares privationis officii, et vocis activæ, et passive pœnis per contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrendis, a qua nemo, nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere, auctoritate apostolica, tenore præsentium prohibemus, et interdicimus.

Derogatio contrariorum, et præceptum de affigendo exemplari ad valvas archivii.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod in casu necessitatis scripturæ, aliaque in dicto archivio existentia exscribi, et exemplari tantum valeant, accedente tamen consensu pro tempore existentis prioris dicti conventus, ac præsente eo ex fratribus dicti conventus in archivistam ab illius capitulo designatum, quodque præsentis prohibitionis exemplum in valvis dicti archivii, aut in aliquo alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit continuo affixum remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Datum die 28. aprilis 1771. Anno II.

## CXVIII.

Indultum consultoribus congregationis s. Officii nunc, et pro tempore existentibus fruendi privilegiis definitorum generalium cælebrandi missam in privato oratorio, et inibi satisfaciendi oneribus missarum ecclesiæ conventus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor concessionis, prout in summa Brevis.

§. 1. Etsi universum Minorum Conventualium ordinem, in quo a teneris usque annis nutriti, et doctrina, ac regularibus disciplinis, et moribus instituti fuimus, affectuosissima charitate complectamur; dignum tamen est, quinimo, et debitum, ut in sacrosancti apostolatus apice, licet immeriti, nunc constituti, ejusdem ordinis alumnos, qui illud idem officium, quo Nos ipsi fungebamur, dum ad cardinalatus honorem assumpti fuimus, consultoris scilicet congregationis venerabilium fratrum Nostrorum in tota republica christiana generalium inquisitorum adversus hæreticam pravitatem, pro tempore obtinent, specialibus, atque uberioribus gratiarum muneribus decoremus. Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tam dilecto filio Francisco Angelo Pastrovicchi ejusdem ordinis alumno in sacra thelogia magistro, et dictæ congregationis nunc consultori, quam pro tempore existentibus ejusdem ordinis consultoribus hujusmodi, ut ipsi omnibus, et singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, exemptionibus, honoribus, gratiis, et indultis, ac voce activa, et passiva in capitulis, et congregationis generalibus dicti ordinis, quibus alii definitores generales ordinis hujusmodi tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus, et indulgemus. Præterea eisdem Francisco Angelo nunc, et pro tempore existentibus consultoribus prædictis, ut ipsi in privato suarum mansionum in conventu sanctorum XII. Apostolorum almæ nostræ urbis existente oratorio sacrosanctum missæ sacrificium, paschatis resurrectionis, pentecostes, et nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus, exceptis, celebrare libere pariter, ac licite possint, et valeant, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concedimus itidem, et indulgemus, nec non facultatem satisfaciendi ad altare ejusdem oratorii oneribus missarum ecclesiæ conventus prædicti ipsis quoque tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; et dicto Francisco Angelo nunc, et pro tempore existentibus consultoribus hujusmodi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sic in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 15 Maii 1771. Anno II.

## CXIX.

**Divisio eremorum congregationis Eremitarum Camaldulensium nationis Neapolitanæ a congregatione Montis Coronæ, illorumque erectio in novam congregationem.**

### Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Ea est humanarum rerum conditio, ut quæ saluberrimo a majoribus instituta fuerunt consilio, aptisque modis ita disposita, atque ordinata, ut nihil iis unquam defuturum esse videretur ad dignitatem substinendam, servandumque amplissimum honoris gradum, ad quem fuerant evectæ, temporum ratione mutata, novisque additis causis, instauratione rursus indigeant, providoque sanctissimarum legum præsidio fulcire iterum debeat atque communiri.

Summa romanorum Pontificum cura erga amplissimum Camaldulensium ordinem memoratur.

§. 2. His merito adducti prædecessores Nostri romani Pontifices, quibus cordi magnopere semper fuit, ut insignis, deque christiana Ecclesia optime meritus Eremitarum Camaldulensium ordo iis legibus regeretur, atque institutis, quæ ad cænobiticæ vitæ splendorem tuendum, amplificandumque maxime conferrent, paterna, qua dictum ordinem fovebant benevolentia, studiosissime curarunt, ut quæ pia intentione, atque laudabili promovendæ monasticæ disciplinæ studio constituta alias fuerant, si pro temporum, locorum, aliorumve ratione minus commode observari posse intelligerent, et detrimento potius esse, quam utilitati animadverterent, ea vel tollerent penitus, vel in melius commutarent. Inter cætera vero, quæ prædecessores Nostri ampliori ordinis Eremitarum Camaldulensium tranquillitati, uberiorique regularis in eo disciplinæ incremento plurimum conducere sapientissime judicarunt, principem sibi locum facile vindicat dissolutio unionis a felicis recordationis Urbano pp. VIII. prædecessore itidem Nostro ex causis tunc adductis alias factæ, et approbatæ congregationum eremitarum nationis Hetruriæ, seu provinciæ Aretinæ, nec non Pedemontanæ nationis, ac demum ejus, quæ Montis Coronæ nuncupatur, quas rec. me. Clemens pp. IX. prædecessor quoque Noster per suas in simili forma Brevis die xxiv. octobris MDCLXVII. expeditas literas a se invicem separavit, atque ad regiminis formam, qua ante unionem respective gubernabantur, singulas reduxit, eamdemque separationem piæ memoriæ Clemens pp. X. prædecessor pariter Noster per alias in eadem forma Brevis die xvii. octobris MDCLXXII. expeditas literas confirmavit non solum, verum etiam gravissimis prohibuit pœnis, ac censuris, ne quis in posterum directe, vel indirecte de prædictarum congregationum, seu nationum unione restituenda consilium inire, aut quovis colore agere præsumeret, ac alias prout in eisdem utriusque Clementis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Laudes insignis congregationis Camaldulensium.

§. 3. Quam felix fuerit, fortunatusque rei exitus, fructusque quam uberes ex hoc dimanaverint, experientia duce, ac magistra compertum satis habemus. Ex quo enim prædicta contigit separatio, dissidiis omnibus, ac contentionibus, quæ eos inter diversarum nationum eremitas exortæ fuerant, atque excitatæ, allatus tandem aliquando fuit finis, pristinus regularis disciplinæ splendor iis in congregationibus restitutus, et auctus, regiminis forma ad cœnobiticæ vitæ rationem magis magisque accommodata, omnia denique ita ordinata, atque composita, ut primævus sui institutoris sanctissimi viri fervor, vehementius pietatis, ac religionis studium in iis revixisse jure meritoque videatur. Quos quidem omnes uberrimos fructus, atque commoda ex eo potissimum repetere non dubitamus, quod separatio prædicta conformis magis sit, magisque accomodata singulari illi vivendi rationi, cui eremitas Camaldulenses vacare est omnino necesse. Illud enim iis esse debet vitæ genus, ut ab humano separati penitus contubernio, spretisque quibusvis sæcularibus curis divinæ contemplationis præsidio ad cœlestis patriæ amorem unice ferantur, hominumque oculis tales se præbeant, quales eremitas Camaldulenses sui ævi descripsit Innocentius episcopus Aretinus, viros scilicet Deo plenos, igne divinæ contemplationis succensos, spiritu ferventes, Domino servientes, superni regis hæredes effectos, qui terrena patrimonia intra sacrarium cælestis aulæ transtulerunt, ac dum se toto nisu ad superna erigunt, mentis oculos in conditoris desiderio figunt.

Segregatio monasteriorum, et ere-

§. 4. Nos itaque, qui pro commissi Nobis divinitus pastoralis officii cura,

ctio eorum in eremos.

pari studio, paternaque charitate præfatum eremitarum ordinem prosequimur, ejusque bono, tranquillitati, atque incremento, quantum cum Domino possumus, cupimus prospicere, prædicta omnia animo volventes, eademque spe adducti tutissima, qua prædecessores Nostri Clemens IX., et Clemens X, præmoti fuerunt in prædicta decernenda separatione, quam tam felix exitus est subsequutus, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine eremos Camaldulenses Neapolitanæ nationis, nempe sancti Salvatoris prope civitatem Neapolitanam, et Incoronatæ nuncupatæ in montibus Virginianis, ac pertinentiis montis Fusci ad novitiatum peragendum designatas, ac Nolanæ, et Turris del Greco vulgo nuncupatæ, nec non Vicoequensis, atque Advocatæ nuncupatæ, et existentis in monte Falesio supra oppidum civitatem vulgo Masuri nuncupatum cum monasteriis, domibus, membris, aliisque locis ab iis dependentibus, vel ad eas quovis modo spectantibus tenore præsentium perpetuo sejungimus, ac separamus a congregatione eremitarum Camaldulensium montis Coronæ, dictasque eremos nationis Neapolitanæ in peculiarem congregationem erigimus, ac instituimus, propriaque eam uti debere regiminis forma decernimus, ac præcipimus, perinde ac si præfatæ congregationi montis Coronæ unita numquam fuisset, adnexa, et incorporata.

Speciales providentiæ circa capitulum generale.

§. 5. Etsi vero alias a felicis recordationis prædecessore Nostro Benedicto pp. XIV. literæ in forma Brevis emanaverint incipientes = Apostolicæ auctoritatis = die xvi. januarii MDCCXLI., quibus congregationi eremitarum Camaldulensium montis Coronæ indultum inter cætera fuit, statutum, atque ordinatum, ut de cætero capitulum generale ejusdem congregationis de quadriennio in quadriennium haberi, ac celebrari deberet, superioresque, qui in capitulo generali eligi solent, in suis respective muneribus quadriennio durare; quoniam tamen causæ tunc adductæ locum amplius habere nequeunt in particulari congregatione eremitarum Camaldulensium nationis Neapolitanæ, hinc emanatas desuper ipsius Benedicti prædecessoris literas præfatas quoad prædictam tantummodo congregationem Neapolitanæ nationis, et quoad hunc dumtaxat effectum celebrandorum generalium capitulorum, ex nunc tenore præsentium revocantes, dissolventes, irritantes, viribusque, et effectu vacuas esse, et fore decernentes, ac declarantes, ut deinceps perpetuis futuris temporibus congregatio prædicta nationis Neapolitanæ capitulum generale de biennio in biennium habere debeat, et celebrare, nec prælaturæ dictæ congregationis ultra biennium durare queant, quemadmodum per constitutiones Camaldulensis ordinis montis Coronæ cautum reperitur, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concedimus, atque statuimus, et mandamus. Primum autem generale capitulum congregationis prædictæ habendum, celebrandumque decernimus in hebdomada, in qua festum sanctissimi Corporis Christi decurrente anno celebratur, ita ut die dominico infra illius octavam supremus congregationis moderator, seu major, ut vocant, ab iis, ad quos de more spectabit, et servatis, quæ de jure servari oportet, eligi debeat, atque renunciari.

Speciales providentiæ aliæ pro bono regimine novæ congregationis

§. 6. Interim vero, ut aditum penitus intercludamus difficultatibus quibuslibet, et incommodis, quæ in novæ congregationis regimine occurrere possent, vel ex defectu supremi capitis, seu majoris, si hujus electio ad tempus usque pro generali capitulo superius definitum esset differenda, vel ex ipsa majoris electione, si extra generale capitulum peragenda quam citissime foret, necessarium duximus, maximeque opportunum, virum aliquem ex eadem congregatione nationis Neapolitanæ ad idem munus eligere, ac designare. Itaque de fide, pietate, charitate, doctrina, et religionis zelo dilecti filii Mauri eremitæ Camaldulensis expresse professi plurimum in Domino fiduciam habentes, ideo ipsum Maurum, qui præclaris in sua congregatione functis muneribus eremo nunc præest, quæ turris prædictæ nuncupatur a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes in novæ congregationis Neapolitanæ hujusmodi præsidem, seu majorem, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus eligimus, ac constituimus cum omnibus facultatibus, et juribus, quæ ratione hujusmodi muneris convenire eidem possunt, ac solent, ita ut quæcumque ad majorem Dei cultum, et gloriam, ad suæ nationis tranquillitatem, ac regularis disciplinæ splendo-

rem quovis modo conducere arbitrabitur, omnia in Domino perficere possit, ac valeat, eodemque in officio tandiu eum perseveraturum decernimus, quamdiu per generale capitulum statuto a Nobis, ut supra, tempore celebrandum novus congregationis præfectus, seu major seligatur.

De convocatione capituli generalis, et de electione præfecti, et definitorum.

Per ovviare alli pregiudizj, e discordie tra li maestri della nostra università, e talvolta colli rivenditori medesimi de'cappelli nel caso, che qualcuno desiderasse aprir bottega, o spaccio in vicinanza, o dirimpetto a qualche altro professore di già avviato, talmente che per la troppa vicinanza si potessero divertire gli avventori dall'una, e l'altra bottega, perciò statuimo, ed ordiniamo, che in avvenire non possa alcuno nè fabbricatore, nè rivenditore de'cappelli nuovamente aprire, nè trasportare la propria bottega se non vi sarà la distanza di canne sessanta di misura romana, da prendersi nel mezzo della soglia dell'altra da aprirsi, o trasportarsi, con girare la misura per strade, e vicoli pubblici più brevi. In caso però, che il padrone fabbricatore fosse costretto a lasciare la bottega in cui ritrovasi, o per causa di risarcimento, o di nuovo edificio, ovvero perchè il padrone volesse accrescere la pigione più di scudi due l'anno resterà in arbitrio delli priori, e guardiani assegnargliene altra dentro la distanza sopradetta, ma però in luogo meno pregiudicevole alle botteghe viciniori, ed in ciò dovrà starsi al giudizio di essi priore, e guardiani; bensì rispetto alle botteghe, che ritrovansi di già incamminate, non s'intende d'innovare alcuna cosa, non però in caso restassero chiuse, poichè non potranno più aprirsi, benchè volessero servirsi del pretesto, che una volta vi fosse ivi la bottega per il medesimo uso; e contro quelli che contraverranno si procederà all'immediata clausura, e soggiaceranno alla perdita degli stigli.

## CAP. XXX.

*Di quelli, che volessero ritenere più d'una bottega.*

De iis qui plures apothecas retinere praesumunt.

Per evitare li pregiudizj, che possono arrecarsi agli altri professori ordiniamo, e statuimo, che niun padrone patentato possa ritenere più d'una sola bottega, e occorrendogli qualche altra bottega, o stanza per fabbricare li cappelli, o altri lavori ad uso della nostra professione possa ritenerla in luogo contiguo alla medesima bottega, o almeno di ragionevole distanza purchè però in questa non tenga al di fuori alcun segno di fabbricatore di cappelli, e molto meno venderli, di modo che abbia da servire per solamente, e nudamente lavorarvi, o farvi lavorare, e contravenendo alla presente ordinazione sarà subito soggetto alla clausura di questa seconda bottega, e perdita degli stigli in essa esistenti.

## CAP. XXXI.

*Di quelli, che devono esser soggetti alla nostra università.*

De iis qui universitati subjicere debent.

Item statuimo, ed ordiniamo, che tutti quelli, i quali in qualsivoglia modo eserciteranno la nostra professione, o lavoreranno materie immediatamente alla medesima appartenenti, come anche tutti quelli, che rivenderanno nelle botteghe proprie cappelli, siano, e s'intendano compresi nella nostra professione, e soggetti alli nostri statuti; per il che ordiniamo come per lo passato, che tutti li maestri patentati paghino per cadauno bajocchi dieci al mese, e bajocchi cinque per ogni giovine lavorante che avranno nella propria bottega, con ritenersi però li detti bajocchi cinque nel salario di detti giovani in ogni mese.

Inoltre ordiniamo, che ogni, e qualsivoglia rivenditore di cappelli paghi al nostro camerlengo, o esattore bajocchi sessanta ogni anno, altrimenti ognuno soggiacerà alla esecuzione della mano regia come si dirà nel capitolo seguente.

## CAP. XXXII.

*Della mano regia.*

De manu-regia universitati competente.

E siccome tutti li presenti capitoli, ed ordinazioni, si renderebbero affatto o inutili, o disprezzati, ed inefficaci, se contro li trasgressori non si potesse procedere con pronta esecuzione, perciò statuimo, ed ordiniamo, che tutti quelli che sono compresi nelli presenti statuti li debbino esattamente osservare, e contravenendo, o ritardando di pagare le tasse stabilite premessa una semplice interpellazione, saranno immediatamente soggetti all' esecuzione della mano regia, di modo che per qualsivoglia contravenzione, o ritardo si eseguirà la mano regia senza potersi più ammettere ricorso, o appellazione, nè dilazione di sorte veruna, e giacchè tutte le tasse, e pene devonsi riscuotere dal nostro camerlengo, così ordiniamo, che le medesime pene esatte che siano restino applicabili o in beneficio del nostro altare, o in quell'uso, che sarà destinato dalla congregazione secreta.

## CAP. XXXIII.

*Delli cappelli vecchi, che restano nelle botteghe dei padroni.*

De pileis derelictis.

E perchè spesse volte accade, che da qualcuno si lasci in bottega di qualche maestro qualche cappello vecchio coll' idea talvolta di non più ripigliarlo, o pure per farlo ritingere, e dimenticandosi di ricuperarlo, ed in questo frattempo tarlandosi, vada a mancare, o deteriorarsi, quindi è che per ovviare al danno delli maestri, e delli padroni statuimo, che li medesimi padroni debbino custodire li detti cappelli per lo spazio di sei mesi, e che per questo tempo siano obbligati soddisfare al valore, poichè dopo li suddetti mesi sei non saranno più obbligati a pagare il valore, nè a verun'altra pena, e solo saranno tenuti restituire li cappelli tali quali saranno ridotti.

## CAP. XXXIV.

*Dell'obbligo dell' università nel difendere li patentati.*

De onere universitatis tuendi eos, qui diplomate donati fuere.

Essendo ben giusto, e ragionevole, che ciascuno della nostra università come membro, e figlio della medesima, venghi garantito, e difeso nel caso, che resti gravato contro le leggi, e stabilimenti ordinati nelli presenti capitoli, però statuimo, che occorrendo prendere la difesa a favore di qualche maestro patentato sopra materie già stabilite nelli nostri statuti, spetti alla congregazione segreta di commettere la difesa al nostro procuratore a spese dell' istessa nostra università.

Preces porrectæ pro confirmatione statutorum, quæ elargitur.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta statuta cum omnibus, et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Præcipitur observantia constitutionis, cum clausula sublata, decretoque irritante.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, et præinserta statuta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, dictæ urbis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis

in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima septima maii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Dat. die 17. Maii 1771. Anno II.

## CXXI.

Moniales monasterii s. Mariæ Magdalenæ civitatis Ferrariensis adscribuntur tertio ordini s. Francisci cum omnibus gratiis, indulgentiis, et favoribus.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium, et expositio precum a monialibus porrectarum.

§. 1. Sacrarum virginum per vigilias, et orationes Deo in humilitatis spiritu famulantium votis libenter intendimus præsertim cum ad spiritualem ipsarum consolationem, et profectum conducere in Domino arbitramur. Cum itaque sicut dilectæ in Christo filiæ abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii sanctæ Mariæ Magdalenæ civitatis Ferrariensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsæ, quæ (ut asserunt) sub ordinarii diœcesani, seu pro tempore existentis archiepiscopi Ferrariensis degunt jurisdictione, nuper ab eo petierint indultum sese calendario ordinis sancti Francisci conformari posse, atque ideo debitum diligentiarum examen in ejusdem civitatis ecclesiastico archivio habitum fuerit, nec prodierit exinde, an monasterium hujusmodi sub regula tertii ordinis sancti Francisci erectum fuerit, nec ne; exponentes autem, quæ usquemodo ss. Franciscum de Assisio, et Claram utpote patriarcham suum, et patronam respective recoluerunt, atque in victu, vestitu, et reliquis omnibus nunquam discreparunt, non sine animi dolore acceperint, se nullius esse ordinis, aut instituti. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio aggregationis, indulgentiarum, et privilegiorum, cum suis reservationibus.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas esse censentes hujusmodi supplicationibus inclinati: exponentes prædictas veras esse religiosas tertii ordinis sancti Francisci auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, et declaramus, et quatenus opus sit, eas, aliasque pro tempore existentes enunciati monasterii moniales prædicto tertio ordini ejusdem sancti Francisci pari auctoritate aggregamus, et adscribimus; utque omnibus, et singulis juribus, indulgentiis, et privilegiis eidem ordini quomodolibet concessis, et competentibus, etiam quoad recitationem officii, et celebrationem divinorum frui possint, et debeant, hoc tamen adjecto onere, ut tertiam regulam sancti Francisci servent, ac sub immediata jurisdictione, et gubernio ordinarii diœcesani, sive pro tempore existentis archiepiscopi Ferrariensis prædictorum degant absque ulla dependentia a regularibus ordinis, servatisque de cætero constitutionibus eidem monasterio propositis die xxv. martii MDCCXLIX. a bon. mem. cardinali Crescentio tunc similiter archiepiscopo Ferrariensi, dummodo sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus, ac sacri concilii Tridentini decretis non adversentur, auctoritate, et tenore prædictis decernimus, pariter, et constituimus.

Consulitur instructioni monialium in recitatione officii divini.

§. 3. Volumus autem, et mandamus, quod pro instruendis iisdem exponentibus in recitatione officii divini, et in aliis usibus tertii ordinis prædictis, dilectus filius modernus vicarius capitularis metropolitanæ ecclesiæ Ferrariensis hujusmodi utatur opera dilectorum etiam filiorum Dominici Andreæ Zarattini, et Laurentii Altieri ordinis minorum ejusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum professorum in sacra theologia magistrorum, et eisdem potestatem faciat accedendi ad monasterium hujusmodi, et cum ejusdem monialibus alloquendi (citra tamen clausuræ ingressum) pro tempore, et vicibus eidem vicario ad hunc effectum benevisis.

Salutares sanctiones, clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros

effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima septima maii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 18 maii 1771 Anno II.

## CXXII.

Præcipitur ut thesaurarii pro tempore existentes provinciæ Marchiæ thesaurariam, bancum, et ministros retinere debeant in civitate Maceratensi.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Stylus continuo fuit ut thesaurarii vectigalia, et responsiones colligerent in civitate Maceratensi.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitates, et homines civitatum provinciæ Nostræ Marchiæ, quod pro tempore existentes thesaurarii ejusdem provinciæ quatuor ab hinc sæculis, totius provinciæ hujusmodi commoditati consulendo, vectigalia, ac responsiones quolibet sive anno, sive mense ab eisdem communitatibus cameræ Nostræ apostolicæ debita in civitate Maceratensi recipere, atque exigere semper assueverunt, et ad hujusmodi effectum suos ibidem habuerunt ministros, ac thesaurariæ bancum, retinuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quemadmodum nuperrime evenit, ita et in posterum dicti exponentes evenire posse vereantur, quod nempe pro tempore existentes thesaurarii dictæ provinciæ, posthabita publica hac utilitate, velint alibi in eadem provincia præmissa omnia peragere; id vero in grave damnum cedat omnium communitatum, et incolarum dictæ provinciæ, quibus præfatæ Maceratensis civitatis locus tamquam in medio ipsius provinciæ positus maximæ eis semper fuit commoditatis. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Et innovata consuetudo ad vitam revocatur.

§. 2. Nos igitur, qui civitatum prædictarum utilitatem, ac bonum paterno desideramus affectu, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione dilecti filii magistri Guillelmi Pallotta in utraque signatura nostra referendario, et congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium super bono regimine communitatum status nostri ecclesiastici præpositorum secretarii, omnibus, et singulis nunc, et pro tempore in posterum quandocumque existentibus thesaurariis dictæ provinciæ Marchiæ, ut ipsi thesaurariam, bancum, et ministros prædictos quemadmodum prius, ita et in futurum, in præfata civitate Maceratensi semper, ac perpetuo retinere, et habere debeant omnino, ac teneantur auctoritate apostolica tenore præsentium præcipimus, injungimus, et mandamus.

Constitutionis observantia sancitur cum clausula subla-

§. 3. Decernentes præsentes Nostras literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque ple-

ta, et decreto irritante.

narios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non thesaurariæ, ac civitatum prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima octava maii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

## CXXIII.

Dat. die 8. maii 1770 Anno II.

Separatio provinciæ Romanæ ordinis s. Francisci de Paula a provincia Hetruriæ ejusdem ordinis.

### Clemens PP. XIV.

### Ad futuram rei memoriam

Memoratur unio facta a Benedicto XIV.

§. 1. Alias felicis recordationis Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xv. januarii MDCCLI. expeditas literas provinciam Hetruriæ fratrum ordinis minorum sancti Francisci de Paula provinciæ Romanæ ejusdem ordinis apostolica auctoritate univit, et incorporavit, cum conditione tamen, quod si aliquando provinciæ hujusmodi inter se separatæ fuissent, tunc conventus Orbitellensis, et Perusinus, qui ad primodictam provinciam Hetruriæ spectabant alteri provinciæ Romanæ hujusmodi adnecti deberent, et alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Novis tamen superventis circumstantiis sacra congregatio indulsit eminentissimo cardinali protectori ordinis, ut pro sua prudentia dismembrationem decernere posset

§. 2. Nuper vero congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum dilectus filius Alphonsus Pieratti frater expresse professus dicti ordinis, et corrector provincialis in Hetruria, quod cum ipsi, et suis fratribus visum fuerit, ut unio hujusmodi dissolvi potius deberet, supplex idcirco oblatus est libellus in comitiis generalibus ordinis prædicti habitis Barcinonæ mense maii superioris anni, et communi omnium vocalium fratrum consensu separatio petita approbari promeruit, nonnullis adiectis conditionibus. Pertractatis itaque per procuratores vicissim constitutis iis, quæ ad negotium hujusmodi pertinebant, separationis pacta, et conditiones statutæ, et a correctore generali ipsius ordinis approbatæ fuerunt, easque per dictam congregationem memoratorum cardinalium confirmari idem Alphonsus desiderabat. Eadem vero congregatio suo rescripto edito die prima præteriti mensis martii commisit dilecto filio nostro Karolo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Rezzonico nuncupato dicti ordinis apud Nos, et Sedem apostolicam protectori, ut ipsius Alphonsi precibus pro suo arbitrio, et prudentia indulgeret, servata forma capituli generalis. Quocirca idem Karolus cardinalis, et protector rescribendum censuit, juxta tenorem, qui sequitur nempe.

Tenor rescripti editi a cardinali protectore ordinis, super dismembratione certis sub legibus facienda.

§. 3. Utendo facultatibus Nobis concessis in præinserto sacræ congregationis Episcoporum, et Regularium rescripto, inspectoque tenore decreti novissimi capituli generalis in eo enunciati, ac literis apostolicis in forma Brevis sanctæ memoriæ Benedicti XIII. sub datum 11. augusti 1728., et sanctæ memoriæ Benedicti XIV. sub datum 15 januarii 1751., ac auditis religiosis deputatis utriusque partis, Romanæ nempe, et Florentinæ, omnibusque rite perpensis, tenore præsentium separamus, sejungimus et segregamus provinciam Florentinam a provincia Romana, et provinciam Romanam a provincia Florentina, ambas-

que reponimus in pristinum statum, quo erant ante unionem decretam a sanctæ memoriæ Benedicto XIV. in dictis suis literis apostolicis in forma Brevis die 15. januarii 1751., eo dumtaxat excepto, quod conventus Perusinus, et Orbitellensis, qui a sanctæ memoriæ Clemente XII. per suas literas apostolicas in forma Brevis die 11. aprilis 1731, sive a correctore generali tunc temporis vigore earumdem literarum incorporati fuerunt provinciæ Florentinæ, assignati, et incorporati remaneant provinciæ Romanæ, quemadmodum eidem provinciæ Romanæ assignati, et incorporati fuerunt in præfatis literis in forma Brevis sanctæ memoriæ Benedicti XIII., ita ut provincia Romana in posterum consistat, ac constare debeat ex conventibus Viterbiensi, Marthæ, Perusino, et Orbitellensi, et ex duobus aliis post memoratas literas sanctæ memoriæ Benedicti XIII. in urbe erectis, scilicet in ecclesia parochiali sancti Salvatoris de Curte nuncupata, et in ecclesia sancti Joannis ante portam Latinam prout in præfatis literis sanctæ memoriæ Benedicti XIV. enunciatur; eosdemque conventus Viterbiensem, Marthæ, Perusinum, Orbitellensem, et duos urbis sancti Salvatoris de Curte, et sancti Joannis ante portam Latinam ut supra dismembratos, disjunctos, et separatos a quacumque unione, et incorporatione cum provincia Romano-Florentina, in novam, et distinctam provinciam Romanam erigimus, et instituimus: et ex reliquis conventibus ad eamdem Romano-Florentinam provinciam spectantibus vigore literarum sanctæ memoriæ Benedicti XIV. novam Florentinam provinciam constare volumus, et declaramus. Pro regimine, et gubernio earumdem provinciarum, quatenus in alterutra capitulum provinciale ob defectum vocalium celebrari nequeat ad formam constitutionum ordinis; committimus, ac injungimus pro hac prima vice patri generali, ut provideat (prout magis in Domino expedire judicaverit) pro electione correctoris provincialis, collegarum, et definitorum ejus provinciæ, in qua capitulum, ut supra celebrari nequiverit, qui in suis officiis permanere debeant ad tempus consuetum, et deinceps capitulum provinciale more solito celebretur. Expensæ vero, quæ pro hac separatione executioni demandanda occurrerint, solvi omnino debeant a conventibus provinciæ Florentinæ, quorum nomine petita fuit separatio, nullimode vero eisdem subiiaceant conventus, qui ad provinciam Romanam pertinent, prout a novissimo capitulo generali decretum fuit. Et ita dicimus, decernimus, et declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus, si tamen sanctissimo Domino Nostro placuerit nostrum hoc decretum per suas literas apostolicas in forma Brevis confirmare.

Datum Romæ die XIV. Maii 1771.

C. card. Rezzonicus protector.

Loco ✠ Signi.

§. 4. Nos igitur ipsum Alphonsum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, ipsius supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertum ejusdem Karoli cardinalis, et protectoris rescriptum cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ inviolabilis perpetuæ firmitatis robur adiicimus. *Rescriptum, et omnia in eo contenta pontificia auctoritate confirmantur.*

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 6. Non obstantibus memoratis ejusdem Benedicti prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præ- *Derogatio contrariorum.*

sentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima octava maii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

---

Datum die 29 Maii 1771 Anno II.

## CXXIV.

Puellis monasterii sub titulo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ tertii ordinis sancti Francisci de urbe inservientibus, et in eo ad id degentibus conceditur unum subsidium annuum dotale, proveniente ex legato quondam canonici Carcarasi.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis imploratæ exponitur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni deputati, ac dilectæ in Christo filiæ moniales monasterii sub titulo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in regione Montium de urbe, quod juxta antiqua ejusdem monasterii stabilimenta, seu consuetudines minime in eo admitti solent moniales conversæ, sed nonnullæ puellæ tantum sæculares, quæ suum dicto monasterio præstant famulatum, recipiuntur, ibique permanent quoadusque in Domino, vel in sæculo nubendi opportuna superveniat occasio. Verum quia dictæ puellæ in servitio hujusmodi præstando florentem ætatem insumunt, aliquod earum laboris præmium vere promerentur, sed illud a monasterio prædicto suppeditari minime potest; quocirca opem, ac subsidium, quod monasterium hujusmodi præbere nequit, haud eis præpediri posse dignoscitur, ut aliunde ex assecutione dotalium subsidiorum, quæ distribui solent a locis piis urbis prædictæ sibi valeant comparare. Pro subsidiis itaque hujusmodi obtinendis cum ipsæ puellæ non tantum consanguineorum, verum etiam extraneorum opera, et auxilio indigeant, illorum propterea frequens accessus ad monasterii crates permittendus omnino est, ideoque religiosam quietem perturbat, ac non sine accuratæ regularis disciplinæ præjudicio incommodum illius monialibus affert. Qua de re, cum dilecti filii capitulum, et canonici basilicæ principis Apostolorum de eadem urbe plura subsidia dotalia puellis, non quidem peculiari jure nominationis pollentibus, sed sorte dumtaxat extrahendis anno quolibet distribuere debeant, hinc deputati, et moniales præfatæ unum ex annuis subsidiis dotalibus ejusmodi puellis dicto monasterio inservientibus juxta distributionem opportune faciendam per eosdem canonicos, et capitulum concedi, et assignari posse plurimum desiderabant.

Quomodo supplicationi jam consultum a capitulo, et canonicis basilicæ principis Apostolorum, recordatur.

§. 2. Nobis idcirco supplicari alias humiliter fecerunt, ut capitulo, et canonicis prædictis necessarias ad id facultates apostolica auctoritate indulgeremus, iisque Nostro rescripto edito die xvi. martii currentis anni illis attributis, præfati canonici in capitulo deinde habito die xxi. aprilis proxime præteriti hujusmodi petitioni annuendo, unum annuum subsidium dotale ex pio legato quondam canonici cognominati Carcarasi testatoris puellis eidem monasterio inservientibus concesserunt, et assignarunt, cum lege interventus puellæ solemni processioni in feria v. octavæ festivitatis corporis Christi de more in eadem basilica peragendæ, ac alias prout in præfata capitulari resolutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, deputati, et moniales prædictæ, concessionem, et assignationem unius annui subsidii dotalis hujusmodi a memoratis canonicis, et capitulo eisdem puellis, ut præfertur, factam per Nos approbari, et confirmari magnopere cupiant; Nobis propterea nuper humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Capitularis concessio, et assignatio cum suis legibus, et oneribus confirmatur.

§. 3. Nos igitur eosdem deputatos, et moniales prædictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque, ac ipsarum respective singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos, ac respective absolutas esse censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam assignationem, et concessionem unius annui subsidii do-

talis ex pio legato dicti canonici Carcarasi favore puellarum monasterio prædicto inservientium a capitulo, et canonicis basilicæ principis Apostolorum de urbe, ut præfertur, factam auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque juris, et facti, ac solemnitatum defectus, si qui desuper intervenerint supplemus, et sanamus. Mandantes præterea, ut annuum subsidium dotale hujusmodi a nunc, et pro tempore existentibus deputatis dicti monasterii uni ex puellis eidem monasterio inservientibus prudenti eorum arbitrio eligendæ tribuatur, et assignetur: quod si deputati prædicti uni, eidemque puellæ, non tantum unum, sed plura quoque annua subsidia dotalia hujusmodi tribuere, et assignare successive judicaverint, plenam, et amplam facultatem id peragendi eisdem deputatis auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et impertimur. Volentes etiam, ut in casu, quo puellarum ad subsidia hujusmodi, ut præfertur, jam electarum obitus sequatur, vel puellæ ipsæ subsidio, seu subsidiis dotalibus sibi concessis, et assignatis renunciare voluerint, tunc talia subsidia minime libere ad capitulum prædictum revertantur, sed loco puellarum defunctarum, aut renunciantium dicti deputati aliam, seu alias puellas eidem monasterio pariter inservientes subrogare, et denuo eligere libere, ac licite possint, et valeant.

*Et constitutionis observantia decernitur, sublata cuilibet judici aliter judicandi potestate, et derogatis omnibus in contrarium facientibus.*

§. 4. Ac decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus dicti canonici Carcarasi testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima nona maii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

# CLEMENS XIV.

## ANNO TERTIO

Datum die 5. junii 177. Anno III.

### CXXV.

Confirmatio Brevis sanctæ memoriæ Urbani VIII. super expulsione caprarum sive laicorum, sive ecclesiasticorum, sive regularium, sive etiam XI congregationum a toto territorio Mevaniæ.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor literarum emanatarum ab Urbano Pontif. VIII super expulsione caprarum a territorio Mevaniæ.

§. 1. Alias a fel. rec. Urbano pp. VIII. prædecessore Nostro emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet = Urbanus pp. VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas, et homines terræ Nostræ Mevaniæ Spoletanæ dioecesis, quod venerabiles fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales super bono regimine communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici deputati, licet alias ex generali mandato super expulsione caprarum ex territorio dictæ terræ dato, terras Gaglioli, et Castri Turris excipi voluissent, attento tamen gravi damno, quod capræ hujusmodi perguletis, olivetis, aliisque ex cultis locis inferunt, decreverunt, quod in eisdem terris pascua ipsarum caprarum prohiberentur, et per dilectum filium dictæ terræ Mevaniæ prætorem mandata desuper necessaria, et opportuna darentur, prout in eorumdem cardinalium decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat universitas, et homines terrarum Gaglioli, et Castri Turris prædictarum exceptionem supradictam apostolica auctoritate confirmari obtinuerint, prout in literis apostolicis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur, et propterea exponentes prædicti plurimum cupiant decretum hujusmodi pro inviolabili illius observatione apostolicæ Nostræ confirmationis robore etiam ut infra, communiri. Nos eosdem universitatem, et homines specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus illorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum prædictum apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac tam juris, quam facti defectus, si qui forsan desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illudque, ac præsentes literas valida, firma, et efficacia existere, et fore, atque ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, et ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus literis prædictis, quas ad hunc effectum revocamus, et constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die 13 augusti 1632 pontificatus Nostri anno decimo.

Literæ hujusmodi confirmantur, et eorum tenor extenditur etiam ad ecclesiasticas personas, et sacras quoque congregationes.

§. 2. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii universitas, et homines dictæ terræ Mevaniæ prohibitionem, aliaque omnia in præinsertis literis ejusdem Urbani prædecessoris contenta, et expressa per Nos confirmari, et approbari, ac ad omnes, et quascumque ecclesiasticas personas

cujusvis status, gradus, dignitatis, et ordinis extendi, et ampliari plurimum desiderent. Nos ipsis exponentibus specialem gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas ejusdem Urbani prædecessoris literas una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, easque ad omnes, et quascumque ecclesiasticas personas sive seculares, sive cujusvis ordinis, et instituti, etiam undecim congregationum regulares cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis existentes, et speciali quoque mentione, ac expressione dignas, quas hic pro expressis, et specificatis haberi volumus, auctoritate, et tenore prædictis extendimus, prorogamus, et ampliamus, ideoque dilecto filio nunc, et pro tempore existenti vicario foraneo dictæ terræ facultatem adversus ecclesiasticas personas hujusmodi dandi, et decernendi necessaria, et opportuna mandata, eisdem auctoritate, et tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in memoratis literis ipsius Urbani prædecessoris concessa sunt, non obstare; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die v. junii MDCCLXXI. pontificatus Nostri anno tertio.

## CXXVI

Dat. die 9. Junii 1771. Anno III.

Dismembratio, et divisio collegii, seu seminarii s. Francisci de Pachuca, a provincia sancti Didaci ejusdem ordinis in Indiis occidentalibus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Sedula romani Pontificis providentia, omnium christifidelium quieti, paci, ac tranquillitati consulere studet, et si inter eos præsertim qui divinis obsequiis mancipati sunt, animorum dissidia, et contentiones suboriantur, pro illis penitus extirpandis, eliminandisque, apostolicæ suæ auctoritatis partes interponit, et catholicorum principum id anhelantium votis libenter annuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de la Vega frater expresse professus ordinis minorum s. Francisci de Observantia nuncupatorum, et commissarius generalis Indiarum, quod alias recolendæ memoriæ Innocentius pp. XI. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die XVI. octobris MDCLXXXVI. expeditas literas, nonnulla decreta, et statuta a Petro Maria Somarne tunc temporis ejusdem ordinis ministro generali pro meliore regimine, ac directione collegiorum, seu seminariorum in provincia ejusdem ordinis in Indiis occidentalibus existentium ad propugnandam catholicam fidem erectorum, apostolica auctoritate confirmavit, et approbavit, prædictaque collegia, seu seminaria juxta eorumdem statutorum, seu decretorum præscriptum, immediatæ jurisdictioni pro tempore existentis ministri generalis dicti ordinis subjecta esse voluit, ac declaravit, et alias prout in ipsius Innocentii prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Continuatio expositionis, in qua memorantur providentiæ captæ pro recto regimine collegiorum.

§. 3. Postmodum vero felicis recordationis Benedicto pp. XIII. prædecessori itidem Nostro, pro parte tunc existentis commissarii generalis curiæ pro ultramontana familia dicti ordinis exposito, quod cum collegia prædicta propter locorum distantiam ab ipsis superioribus generalibus ejusdem ordinis regi, et gubernari facile non possent,

idcirco tunc existentes Sancte Romanæ Ecclesiæ cardinales negotiis Propagandæ Fidei præpositi decretum ediderant, quo collegia, et seminaria hujusmodi sive erecta, sive erigenda in provinciis Hispaniæ dominio regis catholici subiectis ( aliquibus tamen exceptis ) sub obedientia, et regimine ministrorum provincialium reducebantur, decretum hujusmodi idem Benedictus prædecessor per suas in simili forma Brevis die VI. septembris MDCCXXVII. expeditas literas apostolica auctoritate confirmavit, et approbavit, et alias prout in eisdem literis, quarum pariter tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, fusius continetur.

Quas sane providentias immutatis circumstantiis emendatas postea fuisse animadvertitur.

§. 4. Subinde tamen instantibus guardiano, ac discretis, et aliis tunc existentibus missionariis collegii, seminarii sancti Spiritus de Monte nuncupati dicti ordinis Valentini, memorati cardinales negotiis Propagandæ Fidei præpositi, quibus expositum fuerat ab instantibus ipsis, quod regiminis methodo immutata per memoratas ejusdem Benedicti prædecessoris literas, non parum languebat missionum fructus, et ipsa regularis observantia, die XII. novembris MDCCXLVI. decreverunt, quod eisdem literis non obstantibus, omnia collegia erecta in regnis Hispaniæ pro missionibus ordinis minorum de Observantia, restituenda essent in pristinum statum ad formam literarum alias, ut præfertur, in forma Brevis a memorato Innocentio prædecessore expeditarum: quod sane decretum piæ memoriæ Benedictus pp. XIV. etiam prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die I. decembris MDCCXLVI. expeditas literas eadem auctoritate apostolica approbavit, et confirmavit, ac alias prout in suis literis hujusmodi, quarum similiter tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Concessio tributa erigendi unum collegium in unaquaque provincia.

§. 5. Interea vero ab eodem Benedicto XIII. prædecessore per alias suas in eadem forma Brevis die tertia aprilis MDCCXXVIII. literas expeditas, tributa fuerat facultas fratribus dicti ordinis minorum sancti Francisci discalceatorum, et recollectorum strictioris Observantiæ nuncupator. erigendi unum collegium seu seminarium missionum hujusmodi in unaquaque ex eorum provinciis, cujus facultatis vigore, conventus sancti Francisci de Pachuca in novo regno Mexicano ad provinciam sancti Didaci nuncupatus, et ad eosdem fratres minores excalceatos spectans in collegium, seu seminarium missionum hujusmodi erectus fuit, et hujusmodi erectionem felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor pariter Noster per suas in simili forma Brevis die III. julii MDCCXXIII. approbavit, et confirmavit, ac alias prout in eorumdem Benedicti XIII., et Clementis prædecessorum literis, quarum itidem tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quomodo sensim gubernium provinciæ a regulis ordinis defecerit, et quæ mala inde suborta fuerint memoratur.

§. 6. Quamvis autem juxta legem in fundatione ejusdem collegii, seu seminarii sancti Francisci præscriptam, illud juxta formam, privilegia, et onera contenta in primodictis memorati Innocentii prædecessoris literis regi, et gubernari deberet, excepta tamen immediata jurisdictione, et electione guardiani, ac receptione novitiorum, quæ intelligenda erant reservata ministris provincialibus dictæ provinciæ sancti Didaci, cum expressa insuper conditione, ut fratres de uno seminario, seu collegio missionum unius provinciæ, ad aliud seminarium, seu collegium hujusmodi alterius provinciæ transire minime possent, atque, ut fratres aliarum provinciarum guardiani locum in iis collegiis, seu seminariis acceptare, et obtinere nequaquam valerent, firmis cæteroquin, et illæsis integre remanentibus omnibus aliis prærogativis, auctoritatibus, et superioritatibus debitis, et competentibus superiori generali dicti ordinis, ac alias prout a Benedicto XIII prædecessore prædicto in suis literis prædictis statutum fuerat; nihilominus collegium, seu seminarium prædictum sancti Francisci de Pachuca ita deinde rectum, gubernatumque non fuit, sed nonnullis arbitrarie exceptis, in reliquis omnibus pariformiter, et æque, ac aliis conventus dictæ provinciæ regi, et gubernari assuevit, in eo designatis aliis ex fratribus pro missionibus et aliis uti tantum conventualibus, ita ut nec esset collegium, seu seminarium quemadmodum oportebat, neque conventus ad instar aliorum ejusdem provinciæ, sed mixtum quoddam de utroque participans, contra expressam fundationis legem præscribentem, ut collegiorum, seu seminariorum hujusmodi fratres, apostolicis missionibus unice incumbere deberent: indeque orta fuerunt innumera mala, contentiones, dissentiones, et scandala tam intra, quam extra dictum collegium, seu se-

minarium sancti Francisci, non solum intra fratres missionarios, et memoratam provinciam sancti Didaci, ac inter ipsos, aliosque religiosos Conventuales ejusdem collegii, sed etiam in christianis populis illarum partium.

Et malis remedium affertur a commissariis generalibus Indiarum opportunas edentibus constitutiones.

§. 7. Ut igitur tot malis prædictis efficax adhibeatur remedium, nonnulli ex missionariis cordis dolore tacti recursum habuerunt ad tunc in humanis agentem Placidum de Pinedo commissarium generalem Indiarum, qui suis literis mandavit, ut guardianus dicti seminarii, seu collegii sancti Francisci de Pachuca semper ex missionariis eligendus esset, aliaque utilia, et opportuna præscribere curavit. Verum præmissa non solum executioni mandata minime fuerunt, sed electus insuper deinde extitit in guardianum collegii prædicti unus ex fratribus, qui neque in eodem collegio morabatur. Vita postmodum functo memorato Placido, dictus Emmanuel exponens ejus in officio commissarii generalis Indiarum successor, ut et ipse quoque necessarium tot malis remedium afferret, dicti Placidi sui prædecessoris literas prædictas confirmavit, atque insuper duos procuratores unum nempe pro collegio, seu seminario hujusmodi, alterum, qui jura provinciæ prædictæ tueretur, cum opportunis facultatibus ad se venire permisit.

Ast, cum non satis opportuna experta fuissent remedia proposita fuit divisio, et separatio collegiorum, pro cujus approbatione supplices porriguntur preces ut lites, et dissidia eliminentur.

§. 8. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, auditis omnibus per utrumque procuratorem hujusmodi hinc inde deductis, et allegatis, dictus Emmanuel juxta sensum quoque trium fratrum dicti ordinis prudentia, et in his rebus experientia, ac virtute quoque præstantium, nullum aliud efficacius præmissis malis remedium excogitare, et invenire valuerit, quam illud divisionis, et separationis memorati collegii, seu seminarii sancti Francisci de Pachuca a provincia prædicta sancti Didaci, illiusque superiorum jurisdictione; et ejusdem provinciæ procurator prædictus in casu, quo prædictum collegium, prout prius erat non relinquatur, cuicumque juri super collegio prædicto renunciaverit; hinc ipse Emmanuel, ut litibus, et contentionibus omnibus motis, ac movendis finis omnino imponatur, collegium hujusmodi a prædicta provincia per Nos dividi, ac separari plurimum cupiat, idque etiam carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, ex qua pollet singulari, et vere eximia pietate, quam maxime desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Emmanuel, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Dismembrationem, et divisionem indulget Pontifex, et unicuique ex collegiis privilegia, et onera tribuit juxta formam Innocentianæ constitutionis.

§. 9. Nos igitur piis ejusdem Karoli regis votis annuere, ipsumque Emmanuelem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, collegium, seu seminarium sancti Francisci de Pachuca prædictum a memorata provincia sancti Didaci, illiusque superiorum jurisdictione auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo dividimus, separamus, et segregamus, idemque collegium, seu seminarium in omnibus, et per omnia ad instar aliorum collegiorum dicti ordinis fratrum minorum sancti Francisci de Observantia, et juxta formam, privilegia, et onera in primodictis ejusdem Innocentii prædecessoris literis contenta, et expressa in posterum perpetuis futuris temporibus regi, et gubernari libere, auctoritate, et tenore prædictis decernimus et mandamus.

Peculiares alias leges, et providentias statuit Pontifex pro meliori ipsius provinciæ gubernio.

§. 10. Præterea volumus, quod tam fratres Hispani, et Europei, quam alii illarum partium Criollos vulgo nuncupati ejusdem collegii, seu seminarii, completo decennio sui apostolici ministerii, possint, si velint, remanere, vel in dicta provincia sancti Didaci incorporari, itaut tamquam veri illius filii deinceps habeantur, eosque aptos ad omnia officia, juxta cujuscumque capacitatem et proportionem, sicuti statutum est in alternativæ legibus pro Indiarum provinciis dicti ordinis, declaramus; qua de causa conditionem in prædicta renunciatione super his a memorata provincia appositam cassamus, annullamus, et irritamus, ac nullius roboris, et momenti esse decernimus, et statuimus. Omnibus insuper ejusdem provinciæ sancti Didaci filiis, qui divino spiritu, et zelo salutis animarum ducti, transire velint ad dictum collegium, seu seminarium ob apostolicum ministerium exercendum plenam, et liberam facultatem ad illud transeundi et decennio ibidem transacto, libere ad provinciam ipsam eodem ferme modo, sicut alii ipsius provinciæ fratres, et non aliter redeundi, auctoritate, et

tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Declaratur innovationes singulas locum habere debere tantummodo pro collegio s. Francisci de Pachuca.

§. 11. Cæterum per præsentes non intendimus facultati alias ab eodem Benedicto XIII. prædecessore per memoratas suas literas fratribus ejusdem ordinis minorum sancti Francisci discalceatorum, et recollectorum strictioris Observantiæ nuncupatorum erigendi, ut præfertur, in unaquaque ex eorum provinciis unum collegium, seu seminarium missionum, in aliquo esse derogatum, sed facultatem ipsam in suo robore firmam omnino remanere debere, auctoritate, et tenore prædictis sancimus, atque decernimus; ac præterea volumus, quod omnia per præsentes statuta, ac disposita, et quæcumque derogationes in illis contentæ locum sibi vindicare debeant, et intelligenda tantummodo sint respectu collegii, seu seminarii sancti Francisci de Pachuca prædicti, neque ullo modo protrahi, ac extendi possint ad omnia alia collegia, seu seminaria missionum sive usque adhuc erecta, sive in posterum erigenda in provinciis eorumdem fratrum discalceatorum, et recollectorum in regnis Hispaniæ existentia, quæ quidem collegia, seu seminaria juxta leges a Nostris prædecessoribus præscriptas in posterum quoque regi, et gubernari debere pari auctoritate, et tenore volumus, ac jubemus.

Clausulæ salutares pro plenaria observantia constitutionis.

§. 12. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 13. Sicque in præmissis in omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciæ, et seminarii de Pachuca prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die nona julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXXVII.

Dat. die 9. Junii 1771. Anno III.

Confirmantur capitula super erectione conservatorii pauperum puellarum ab oratore comite Raimundo Santinelli fundati.

Venerabili fratri episcopo Pisaurensi

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Institutio conservatorii pauperum puellarum in civitate Pisauri.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius comes Raymundus Santinelli nobilis Pisaurensis, quod propter deficientiam illorum piorum operum, quæ licet Deo quammaxime grata, in civitate tamen Pisaurensi sua patria, vel minime reperiebantur, vel congruis redditibus carebant, ille præ cæteris adhuc desiderabatur locus, ubi pauperes puellæ a miserrimis suis genitoribus ea, qua par est, custodia non detentæ, ac propterea periculis expositæ tuto detineri, ac custodiri valerent. Quapropter idem exponens ex propriis suis facultatibus a cunctorum bonorum largitore Domino sibi concessis capitale scutorum trium millium monetæ fraternitati tuæ cedere, ac assignare constituit, prout re ipsa die xx. januarii MDCCLI. cessit, et assignavit, illudque aliis quingentis scutis ab infrascripta ejus conjuge inde auctum fuit, ad hoc ut ex capitali hujusmodi, ejusque fructibus, qui successive cumularentur, quique ad congruam summam jam pervenissent, nec non ex aliis, quæ

divina favente providentia, concessa fuissent a te, et successoribus tuis episcopis Pisaurensibus in dicta civitate unum erigeretur, ac fundaretur conservatorium, in quo admittendæ essent pauperes illæ puellæ, quæ in majori periculo offensionis divinæ, ac proprii decoris amissionis constitutæ reperirentur; verum quia ex dicto capitali, ut præfertur, augendo, et constituendo pii operis hujusmodi executio ad longum sane tempus protrahenda erat, hinc idem exponens una tecum decrevit, ut supplices porrigerentur preces felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessori Nostro ad hoc ut, suppressa una ex confraternitatibus ipsius civitatis, ejus capitalia tam pio, ac necessario operi prædicto applicanda essent: interea vero idem exponens, publico instrumento rogato per acta Joannis Hyacinthi Tassini cancellarii episcopalis Pisaurensis, ratam habuit, atque approbavit assignationem trium millium scutorum prædictorum *in capitalibus frugiferis* tot censuum, aliorumque bonorum in eodem instrumento expressorum, et descriptorum, prædicta omnia dando, atque donando tibi, tuisque in perpetuum successoribus episcopis Pisaurensibus ad effectum erigendi unam domum pietatis sub iis legibus, quæ tibi ac successoribus episcopis prædictis, a quibus gubernanda esset, constituere, ac reformare visum fuisset, et alias prout in memorato instrumento, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cumque quantitati trium millium scutorum, ut præfertur assignatorum dilecta in Christo filia comitissa Alexandra Ondedei Santinelli ejusdem exponentis conjuge alia scuta quingenta similia superius dicta adjecerit, hinc omnia simul a te cuidam pio, ac ecclesiastico viro consignata deinde fuerunt, qui dicta capitalia ex fructibus paulatim ita accrevit, ut modo secutæ auctiones sortem capitalium hujusmodi æquare videantur. Ne autem in longius protraheretur pii operis hujusmodi executio, dictus exponens propriis suis bonis, etiam absque suppressione unius ex dictis confraternitatibus, illud absolvere decrevit, ac interea, ita exigente aucta in dies pii operis hujusmodi necessitate, quam plures puellas, quas sub periculo existere ipse comperiit, in propria ejus domo recipere, ac curæ quarumdam piarum, et honestarum mulierum eas committere constituit, illasque pluribus ab hinc annis propriis suis sumptibus aluit; sine ulla ope capitalium, ac fructuum in causam erectionis dictæ domus pietatis, ut præfertur, assignatorum. Verum quia idem exponens in admodum provecta ætate, et absque ulla prole modo constitutus reperitur, pii autem operis ab ipso voliti executionem, et effectum longe protrahendum esse cognoscit, et quid tractu temporis quoad illud evenire possit, ignorat; hac itaque de causa ipse decrevit pro omnimoda, ac celeri ejusdem pii operis quam maxime Deo grati constitutione, et executione, illius favore aliud capitale quindecim, seu sexdecim millium scutorum similium applicare. Sed neque id satis esset securæ ipsius pii operis conservationi, quoties leges, et regulæ, quibus illud dirigi, ac gubernari debeat, simul non præscribantur, et una constituatur congregatio ex infra dicendis personis, unaque tantum statuatur domus pietatis hujusmodi, comprehensis capitalibus omnibus tam usque adhuc assignatis, eorumque auctionibus, quam alio capitali, ut præfertur, applicando sub directione, et gubernio memoratæ congregationis constituendæ ex duabus principalibus canonicis cathedralis ecclesiæ Pisaurensis, atque ex omnibus sex parochis dictæ civitatis, quibus majores puellarum hujusmodi necessitates, et majora pericula certius ac facilius innotescere solent, et ex ipso exponente, ac fundatore, quoad ipse vixerit, et post ejus obitum ex seniore inter suos hæredes, quibus deficientibus unus ex nobilibus ipsius civitatis prudentia, ac pietate præ cæteris præditus ab ejus consilio eligendus dicti senioris locum obtinebit; omniaque peragantur, conficiantur, et dirigantur juxta capitula legum, et regularum hujusmodi, quorum capitulorum tenor est, qui sequitur nempe

§. 4. Capitoli per la fondazione, e governo del conservatorio da eriggersi in Pesaro per le fanciulle pericolanti di detta città sotto il titolo di figlie della Misericordia = I.° Si erigga questo conservatorio con i capitali, che a tale effetto donerà il conte Raimondo Santinelli di Pesaro, e con li scudi tremila romani, che il medesimo fin dal dì 20 gennaro 1751 diede a monsignore illustrissimo, e reverendissimo vescovo Luigi Radicati de'conti di Cocanaro vescovo vigilantissimo della stessa città di Pesaro, come risulta dall' istromento pubblico stipolato per gli atti di Giovanni

Leges quibus conservatorium regi debet.

Giacinto Tassini sotto il dì 20 giugno 1752, e con li scudi cinquecento simili, che sotto il dì 11 marzo 1754 diede allo stesso monsignor vescovo la contessa Alessandra Ondedei moglie di detto conte Santinelli, con l'intelligenza, e consenso di questo per il medesimo fine con tutti, e singoli loro frutti moltiplicati, e che moltiplicheranno fino al giorno dell'erezione e fondazione.

II. Il conservatorio sotto la superiorità, protezione, e giurisdizione ordinaria di monsignor vescovo pro tempore dovrà essere regolato, e governato da un collegio, o congregazione di nove rettori, e non più, e perciò composto di otto ecclesiastici della città, cioè del preposto della cattedrale, del canonico teologo, de' sei parochi della città stessa, compreso tra questi il vicario curato della cattedrale, ed il conte Santinelli come fondatore, e dopo la di lui morte del più anziano de'suoi eredi, ed in mancanza di questi debbasi dal consiglio generale di questa città deputare uno de'nobili il più maturo di virtù, e saviezza, non ostante qualunque disposizione, promessa, e dichiarazione, e tutt'altro in contrario. E questi rettori forniti del voto definitivo dovranno congregarsi almeno una volta il mese, e più ancora quando fossero intimati dal rettore reggente pro tempore per qualche affare d' importanza: ed acciò il congresso per qualunque risoluzione sia canonico, dovrà esser composto, quando non sia pieno, di sei dei medesimi rettori, e la risoluzione da farsi sempre per voti segreti, dovrà avere due terzi de'medesimi voti.

III. De'suddetti nove rettori uno verrà distinto col titolo di rettore reggente, e verrà ogni anno estratto a sorte, il quale come capo della congregazione per quell'anno, e come rappresentante il collegio, invigilerà più degli altri sopra il conservatorio, e suo regolamento tanto morale, che politico, ed economico, sopra i ministri, e loro incombenze, e durerà nell' officio un'anno, e non più, da terminare col mese di ottobre, dopo avere inoltre fatta la revisione de'conti a tutti i suddetti ministri. Dovrà anche deputarsi uno de'medesimi rettori alla custodia dell' archivio, e questa potrà essere vita durante. Il rettore reggente però non debba estrarsi, che dopo la morte del conte Santinelli, volendosi, che egli qual fondatore debba eseguire, ed ordinare quanto sarà più opportuno al principio ed al progresso dell'opera. Eseguita la di lui morte il rettore reggente non potrà essere nè l'anziano de'suoi eredi, nè in mancanza di questo l'eletto dal consiglio generale, ma debba estrarsi ogni anno dal ceto solo degli otto denominati ecclesiastici.

IV. Spetterà al collegio, e alla definizione de'suoi voti segreti l'ammettere nel conservatorio quelle fanciulle povere della città, che veramente sono pericolanti non maggiori di anni otto di età, preferendo sempre le povere orfane alle non orfane, le più avvistate alle meno avvistate, e le più povere alle meno povere; come anche maggiori di anni otto, quando non siano state pervertite, ed il collegio creda bene di ammetterle, e farle cristianamente educare fino agli anni trenta, qualora più presto non siano passate allo stato o religioso, o conjugale, senza che per la loro ammissione, ingresso, mantenimento debba esiggersi cosa alcuna, neppure a titolo di acconcio, dovendo il conservatorio supplire a tutto il bisognevole di vitto, vestito, e medicinali. Spetterà anche al medesimo collegio, e sue risoluzioni per voti segreti l'elezione de'ministri probi, ed abili, che almeno dovranno essere una priora, una maestra da convivere nel conservatorio per custodire, ed istruire le fanciulle in tutti i doveri, e ne' lavori proporzionati, un priore per l'azienda generale, e cassa, un fattore per prendere il vitto, ed altre occorrenze, secondo le istruzioni, ed ordini del reverendo signor rettore reggente, priore, e priora. E qualora il conservatorio giunga in stato di mantenere un cappellano per la messa; questo ancora dovrà eleggersi dal collegio, senza mai permettere, che la cappellania sia assegnata in titolo di patrimonio, dovendo e questo e tutti gli altri ministri soggiacere all'annua riforma del collegio da darsi terminato il mese di ottobre.

V. Il collegio prescriverà non solo le incombenze de'ministri, e principalmente della priora, e maestra per l'ottima educazione delle fanciulle, ma anche il tenore di vivere di quelle, la forma dell'abito esteriore, sempre uniforme, e modesto, la tassa del vitto sufficiente, e discreto, e sopra tutto l'opere di pietà, nelle quali dovranno le medesime fanciulle esercitarsi. Come anche lo stesso collegio supplicherà monsignor vescovo pro tempore, che deputi uno de'savj confessori, che si degni cambiarlo ogni triennio almeno, e

di destinare ancora il confessore straordinario, quando crederà proprio, e conveniente.

VI. All'aprirsi del conservatorio si farà un libro mastro sul principio del quale si descriveranno tutti i capitali, che donerà, e consegnerà il conte Santinelli fondatore, con la donazione; e successivamente si scriveranno nel medesimo li presenti capitoli, ed altre regole, e risoluzioni per il retto governo del conservatorio. Ma per l'azienda da amministrarsi dal priore si farà un piccolo libro a parte, ma in foglio, che si rinnoverà ogni anno sul fine dell'anno economico, ossia sul fine di ottobre, e questi libri col libro mastro, e tutte, e singole altre carte si conserveranno nell'archivio.

VII. Il priore, che sarà l'economo generale somministrerà alla priora tutto quello, che sarà necessario per i lavori, e provisioni delle fanciulle riportandone le debite ricevute: e ogni semestre la priora suddetta dovrà render conto delle cose ricevute, de' lavori fatti, spese, ed erogazioni, e di tutto altro al reggente rettore, ed al priore medesimo.

VIII. Siccome le fanciulle dovranno lavorare a conto, e vantaggio del conservatorio; così per lasciare alle medesime qualche sollievo, si permetterà, che la giornata del sabbato, o altra per ciascuna settimana venga da esse impiegata ne' lavori a tutto loro profitto; di più si ridurrà a tutto loro profitto la quarta parte di tutte le altre loro manifatture fatte pel conservatorio, cioè la quarta parte di quanto valerà la sola opera delle loro mani. Per il qual fine di sei in sei mesi si farà lo scomputo ed il computo di dette manifatture alla presenza del rettore reggente, priore, priora, e maestra.

IX. Nel dimettersi le fanciulle pervenute agli anni 30 di età qualora nè si faccino religiose, nè si maritino, sia cura del rettore reggente lo invigilare acciò passino ad abitare una casa onesta, dove regni il santo timor di Dio: ed affinchè onestamente possino procacciarsi il sufficiente alimento col consiglio delle loro mani, il collegio potrà provvedere quelle, che saranno riconosciute meritevoli per il buon loro portamento nel conservatorio di qualche istromento da lavoro, e dargli qualche altro sussidio in mobili, grascie, ed altro, ma che in tutto non sorpassi il valore di scudi sei romani, e non più, per una sola volta. E non facendosi nè religiose, nè maritandosi debbano tre volte all'anno, cioè il natale, la pentecoste, e la festa dell'assunzione di Maria sempre vergine portarsi alla chiesa del conservatorio a far la comunione; e avendo la fede del parroco del loro onesto vivere, debba il conservatorio farle ogni volta qualche tenue limosina.

X. Quelle poi, che si volessero monacare, o maritare potranno percepire una porzione di dote, secondo la determinazione del collegio, la quale si prenderà dal capitale, che nella donazione del conte Raimondo Santinelli fondatore sarà dichiarato per il detto effetto, e che però sarà sempre amministrato a parte dal priore.

Per tutt'altro il fondatore si rimette al collegio, per la cura, custodia, e ottimo regolamento del conservatorio, nel quale collegio molto egli confida.

§. 3. Die 6 maii 1771. Sanctissimus Dominus Noster, auditis relationibus episcopi Pisaurensis, atque infrascripti secretarii ex peculiaribus causis supremam Sanctitatis Suæ mentem digne moventibus literas apostolicas in forma Brevis expediri mandavit, quarum vigore committatur eidem episcopo Pisaurensi, ut, veris existentibus narratis ad erectionem conservatorii pro puellis pauperibus, periculis expositis, incustoditis, in omnibus, et per omnia ad tramites piarum dispositionum comitis Raymundi Santinelli gratis deveniat; ad quem effectum Sanctitas Sua, novis capitalibus a prædicto comite Santinelli assignatis omnia capitalia ab ipso, ejusque conjuge ad hunc effectum præcedenter per contractum donationis assignata, una cum multiplico fructuum, atque omnibus, et singulis accessionibus eorumdem, nec non aliud capitale scutorum biscentum triginta trium ab alia pia disponente legatum, seu quomodolibet relictum una simul cum ejusdem fructibus, atque accessionibus unita, atque incorporata esse voluit, præcedentibus contractibus, assignationibus, et dispositionibus, aliisque omnibus in contrarium minime obstantibus, quibus suprema sua auctoritate etiam motu proprio Sanctitas Sua expresse derogatum voluit. Nec non supradicta capitula, atque ordinationes pro recto regimine conservatorii ejusdem compilatas in forma specifica confirmavit, atque approbavit, et perpetuis futuris temporibus per quoscumque etiam loci Ordinarios servari mandavit, fir-

Pontificia sanctio circa erectionem conservatorii, et approbationem constitutionum conditarum pro illius gubernio.

mis in reliquis dispositionibus sacri concilii Tridentini, nec non constitutionibus apostolicis, et præsertim sanctæ memoriæ Pii V.

Loco ✠ signi.

F. M. card. de Rubeis præf.

F. A. archiep. Petrensis secret.

Preces porrectæ pro confirmatione capitulorum.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius capitula prædicta subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri ipse Raymundus plurimum cupiat, eidemque congregationi potestatem gubernandi pium opus prædictum tam quoad electionem puellarum, et æconomicam administrationem, quam quoad ipsarum directionem juxta præfata capitula per Nos concedi, omniaque capitalia tam consignata anno MDCCLI. ab ipso exponente, quam deinde ab ejus conjuge tradita, eorumque auctiones, et alia modo ab eodem exponente applicanda, ut præfertur, in unum capitale per Nos simul jungi, ac uniri magnopere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor pontificiæ confirmationis, cum suis declarationibus, et providentiis opportunis.

§. 5. Nos igitur ipsum Raymundum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione tua, ac venerabilis fratris Francisci Xaverii archiepiscopi Petrensis congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut ad erectionem conservatorii pro puellis pauperibus periculis expositis, incustoditis in omnibus, et per omnia ad tramites piarum dispositionum ipsius exponentis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium devenias, et ad hunc effectum novis capitalibus ab eodem exponente assignatis, omnia capitalia ab eo, et sua conjuge prædicta hac de causa præcedenter per contractum donationis assignata, una cum multiplico fructuum, atque omnibus, et singulis accessionibus eorumdem, nec non aliud capitale scutorum biscentum triginta trium ab alia pia disponente legatum, seu quomodolibet relictum una simul cum ejusdem fructibus, et accessionibus unita et incorporata esse volumus, et mandamus, quibuscumque præcedentibus contractibus, assignationibus, et dispositionibus, aliisque omnibns in contrarium minime obstantibus, quibus auctoritate, et tenore prædictis, ac motu etiam proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris derogamus, et pro expresse derogatis haberi præcipimus. Nec non præinserta capitula, atque ordinationes pro recto regimine ejusdem conservatorii compilatas paribus auctoritate, et tenore confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, easque perpetuis futuris temporibus per quoscumque etiam loci Ordinarios, firmis in reliquis dispositionibus sacri concilii Tridentini, nec non constitutionibus apostolicis, ac præsertim sanctæ memoriæ Pii pp. V. prædecessoris Nostri servari præcipimus, et mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die nona julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 11. Junii 1771. Anno III.

## CXXVIII.

Episcopis Reatis, Asculani, Spoletani, Ripani, et Montis Alti, ac abbatis Farfensis facultas conceditur deputandi unum vicarium generalem, pro locis suarum diæcesum existentibus in regno Neapolitano.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Circumspecta romani Pontificis omnium christifidelium patris, et pastoris providentia sicuti spiritualibus eorum utilitatibus jugi vigilantia consulere studet, ita et temporalibus eorum commodis paterna charitate providere satagit, prout vota præsertim catholicorum principum exposcunt, et conspicit in Domino salubriter expedire.

Utriusque Siciliæ rex expostulat, ut episcopi, et abbates qui ecclesiasticam in suo regno habent jurisdictionem, generalem vicarium mittant in locis subjectis, ne extra regnum, cogantur subditi ecclesiasticum quærere tribunal.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliæ, et Hierusalem regis illustris Nobis nuper expositum fuit, quod nonnulli venerabiles fratres episcopi, et dilectus filius abbas monasteriorum sanctæ Mariæ Farfensis ordinis sancti Benedicti, ac sancti Salvatoris majoris nuncupati nullius diœcesis in districtu urbis partim habent suas diœceses, et respective nonnullas terras et loca spirituali jurisdictioni ejusdem abbatis subjecta in regno Neapolitano existentia, quamvis eorum cathedrales, ac respective monasteriorum hujusmodi ecclesiæ, ac civitates, in quibus cathedrales prædictæ reperiuntur in statu Nostro ecclesiastico sita sint. Et si vero nulla unquam orta fuerit controversia quoad jus visitandi, et exercendi quemcumque actum jurisdictionis in ea parte eorum diœcesum, ac respective terrarum, et locorum in regno prædicto existentium; et solum quoad modum, an scilicet ab eisdem episcopis, et prædicto abbate respective retinendus esset, necne in eadem parte vicarius foraneus juxta juris canonici regulas, vel potius deputandus foret vicarius generalis, quemadmodum commoditas subditorum postulare videbatur, ne subditi ipsi in re qualibet saltem relevanti, propriam patriam relinquere, et pro agendis litibus ad tribunal ecclesiasticum coram episcopo, ac respective abbate prædicto, seu eorum vicario generali, qui plerumque morari solet in loco, ubi episcopi degunt, se transferre cogerentur. Ut igitur suorum subditorum commoditati consultum sit, hinc idem Ferdinandus rex quam maxime conveniens, justum, et æquum esse duxit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget Pontifex juxta petita.

§. 3. Nos itaque ipsius Ferdinandi regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, idque quam maxime conveniens, justum, et æquum esse putantes, salva semper, et illæsa manente eorumdem episcoporum, et abbatum respective auctoritate quoad visitationem, et exercitium cujusvis actus eorum jurisdictionis spiritualis, et ecclesiasticæ in ea parte suarum diœcesum ac respective terrarum, et locorum in regno prædicto existentium, ut in posterum ipsi in parte hujusmodi unum vicarium generalem eidem Ferdinando regi minime suspectum, qui ipsorum episcoporum, et respective abbatis nomine, ac jurisdictione eidem vicario ab ipsis attributa, tractare, definire, et judicare debeat omnes, et quascumque causas tam civiles, quam criminales respicientes personas illas, super quibus jus habent judicandi, in posterum deputare possint, et teneantur, apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, et ordinamus.

Mandat ut ordinarii, eorum vicariis generalibus committant, ne in rebus gravibus, et præsertim criminalibus procedant nisi prævio ipsorum consensu.

§. 4. Volumus autem quod dicti episcopi, et abbas respective in deputatione vicarii generalis hujusmodi ab unoquoque eorum peragenda in dicta parte suarum diœcesum, ac respective terrarum, et locorum in memorato regno consistentium suo utique vicario generali hujusmodi præscribere debeant, ut ipse ad aliquem actum, qui consequentiæ sit, multoque minus ad ullam sententiam criminalem absque eorum respective integra participatione, ac prævio ipsorum assensu procedere minime possit, et valeat; in casu autem contraventionis pœnam excommunicationis majoris ipso facto a vicario hujusmodi, quatenus sacerdos minime sit, incurrendam, et quoties sacerdos existat, suspensionis a divinis pariter ipso facto incurrendam, præter remotionem ab officio, aliasque arbitrio infligendas pœnas, auctoritate, et tenore prædictis imponimus, sancimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futu-

rum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis prædictæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præceptum episcopis directum pro executione constitutionis.

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus episcopis Reatino, Asculano, Spoletano, Ripano, et Montis Alti, et dilecto filio abbati prædictorum monasteriorum sanctæ Mariæ Farfensis, et sancti Salvatoris majoris nunc, et pro tempore respective existentibus in dominio temporali et provinciis eidem Ferdinando regi subjectis jurisdictionem spiritualem in terris, locis, castris, et oppidis intra limites diœcesum prædictarum existentium habentibus, ut ipsi, et unusquisque eorum per se ad omnimodam præsentium Nostrarum literarum exequutionem procedat, illasque, et in eis contenta quæcumque juxta eorumdem præsentium tenorem, et continentiam observari curent, et faciant.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, quæ Nostris præsentibus literis adversantur, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die undecima junii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CXXIX.

Dat. die 10. Julii 1771. Anno III.

Confirmantur constitutiones, et regulæ monasterii sancti Maximini ordinis sancti Benedicti prope Trevirensem civitatem una cum ejus dependentia a Sede apostolica.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Ex injuncto Nobis pastoralis officii debito, ea quæ pro felici directione, et gubernio religiosorum virorum vota sua Domino sub suavi Christi jugo reddere satagentium provide, ac prudenter constituta, et ordinata esse dicuntur, ut firma, et inviolata persistant, apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur libenter roboramus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Wilibrordus modernus abbas monasterii sancti Maximini prope civitatem Trevirensem ordinis sancti Benedicti, quod idem monasterium consistoriale sit, ac immediate subjectum huic sanctæ Sedi, a qua illius abbatum electiones confirmantur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Wilibrordus abbas regulas, constitutiones, et statuta ordinis, et monasterii hujusmodi, illiusque dependentiam a Sede prædicta sartas, tectasque conservare, easque per Nos confirmare plurimum desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontificia sanctio.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, regulas, constitutiones, et statuta prædicta, dummodo tamen sint licita, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non adversentur, una cum ipsius monasterii dependentia a Sede præfata apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ præservativæ; de-

§. 4. Decernentes easdem præsentes

cretum irritans, et derogatio contrariorum.

literas, nec non regulas, constitutiones et statuta hujusmodi firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et spectabit in futurum inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

Datum die 13 Julii 1771. Anno III.

## CXXX.

**Inclito almæ urbis populo, ejusque conservatoribus indulgetur, ut quolibet anno possint venerabili basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum donum offerre in festo sancti Francisci Assisiensis, valoris scutorum triginta ex bonis cameræ capitolinæ hauriendorum.**

Oblatio ex lege a Benedicto XIII. lata fieri consueverat per biennium tantum.

§. 1. Conservatori della Nostra alma città di Roma. Avendoci voi, nella Nostra udienza ammessi li 8 giugno prossimo passato, fra le altre occorrenze della Nostra camera capitolina rappresentato il desiderio, che tiene il magistrato di questa Nostra città, e più precisamente voi stessi, di darci qualche efficace riprova della sua, e vostra figliale riconoscenza alle molte grazie da Noi al detto magistrato benignamente, ed a voi medesimi largamente compartite; e che se Noi non ci fossimo degnati di concorrervi con il Nostro apostolico beneplacito, per voi stessi non avreste potuto compire la pia brama, che nodrite, di poter perpetuamente ogni anno far conseguire all'antichissima chiesa, o sia basilica de' santi XII. Apostoli, l'oblazione del calice con sua patena d'argento dorato, e quattro torce di cera, solito presentarsi alla detta basilica nella ricorrenza della festa del glorioso serafico patriarca san Francesco di Assisi, che presentemente ristretta trovasi all'alternativa di ogni biennio, in esecuzione del Breve della santa memoria di Benedetto pp. XIII. in data li 28. settembre 1725. che a ciò si mosse per ampliarne simile distribuzione ad altre non poche chiese di questa città, e che ciò non ostante dalli Nostri predecessori Benedetto pp. XIV. con suo Breve in data li 12. luglio 1742. sia stata reintegrata la chiesa di san Bernardo alle Terme, e da Clemente pp. XIII. quella delle monache di santa Cecilia in Trastevere con suo particolar rescritto in data li 6. dicembre 1766. Soggette ambedue le dette chiese alla simile alternativa di ogni biennio in esecuzione del suddetto Breve Benedettino, che in oggi però, in virtù delle sopradette grazie godono, e goderanno ogni anno la stessa oblazione in perpetuo, come anche apparisce dalle tabelle delle suddette distribuzioni ordinate, ed indi approvate dalli reverendissimi cardinali vicarj pro tempore, in occasione della variazione delle sopradette oblazioni concesse a varie altre chiese di questa città, con l'istruzione degli obblighi, che tengono quelle stesse chiese, che già godevano, e godono detta oblazione ogni anno, e che praticano verso il sopradetto magistrato romano, ed alcuni officiali del medesimo la divozione della candela benedetta per la festa della Purificazione di Maria santissima, con altre obbligazioni espresse nell'accennata tabella, alle quali mancando di pienamente corrispondere alcuna delle suddette chiese, possino dalli conservatori sospendersi le oblazioni, partecipandosi a sommi Pontefici per la surrogazione di altre chiese.

Indulgetur tamen pro singulis annis attentis meritis antiquissimæ basilicæ, et laudabilis religionis fratrum minorum Conventualium, cui ipse Pontifex nomen dederat.

§. 2. Onde Noi colla Nostra paterna clemenza, volendo darvi un contrasegno del distinto gradimento delle vostre sopradette figliali espressioni, a riguardo non meno d'incontrare il predetto vostro pio desiderio, che delli meriti singolari, e speciosi della ridetta basilica antichissima de'santi XII. Apostoli, della quale, mentre eravamo aggregati nel numero del sagro collegio de'cardinali della Santa Romana Chiesa fummo titolari, e della cospicua, e non mai abbastanza lodata religione de'minori Conventuali dell'ordine serafico di san Francesco sotto l'esattissima cura de'quali, viene santamente ed esemplarmente regolata detta sagra basilica, e del medesimo sagro abito Noi vestiti, dalla stessa venerabil religione riconosciamo la nostra esaltazione al sublime soglio di sommo Pontefice dell'universo orbe cristiano. Motivi tutti co-

sì forti, e rispettabili, per li quali ci siamo ben volentieri indotti, per l'effetto suddetto a concedervi la grazia, umilmente da voi, come sopra, richiestaci del Nostro apostolico beneplacito, quale pienamente vi concediamo, dandovi inoltre tutte le facoltà necessarie, ed opportune, di poter assegnare dei denari della Nostra camera capitolina l'annua somma di scudi trenta moneta, che vi occorrono per l'offerta del suddetto calice, e torce, e così anche ristretto dal nominato nostro predecessore Clemente XIII. con suo special chirografo segnato li 30. settembre 1768. quale così ogni anno farête descrivere da chi si appartiene nella partita delle liste, ossiano cartoni, che si spediscono per simili pagamenti all'appaltatore della dogana, ossia gabella dello studio, ed insieme farete descriverla nella tabella delle sopradette oblazioni fra le altre chiese, che fisse ogni anno godono detta offerta, colle suddette obbligazioni espresse nell'accennate tabelle, ed in specie di corrispondere alli conservatori pro tempore, e ad alcuni loro officiali la candela di cera benedetta solita darsi per la festa della Purificazione di Maria santissima, e di adempire quanto vien dichiarato in dette tabelle, più volte approvate dalli reverendissimi cardinali vicarj, e mancando alcuna di esse chiese a tali convenienze vi diamo la facoltà di poter loro sospenderne l'oblazione del calice, alla quale, colla partecipazione a Noi, o Nostri successori potrà surrogarsi altra chiesa; essendo così mente, e volontà Nostra precisa.

Praecipitur plena chirographi executio.

§. 3. Al qual'effetto vogliamo, ed ordiniamo, che il presente Nostro chirografo, colla semplice Nostra sottoscrizione, vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, vigore, ed esecuzione, benchè non registrato in camera, a tenore della Bolla della santa memoria di Pio quarto Nostro predecessore *de registrandis*, bastandoci, che sia registrato nel solito libro del Campidoglio dallo scrittore del Nostro popolo romano, nè contro il presente Nostro chirografo possa mai darsi di surrezione, orrezione, eccesso, o difetto alcuno della Nostra volontà.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. E così, e non altrimenti debba giudicarsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, tanto ordinario, che delegato, dalli reverendissimi cardinali camerlengo, e vicario, e da qualsivoglia altro tribunale, benchè collegiale, della Nostra camera, e rota, togliendo Noi a loro, ed a ciascheduno di essi, fin d'adesso, ogni, e qualunque facoltà di poter giudicare, ed interpretare diversamente da ciò, che abbiamo disposto, ed ordinato nel presente chirografo; benchè non vi siano stati chiamati, nè intesi li sindici del Nostro popolo romano, il procuratore fiscale della detta Nostra camera capitolina, li procuratori delle predette chiese, che godono di detta oblazione, e qualsisia altra persona, che in qualsisia modo potesse avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non ostante la regola della Nostra cancellaria, *de jure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' sommi Pontefici Nostri predecessori, ed in specie il sopradetto Breve della santa memoria di Benedetto XIII. sopra l'alternativa di dette chiese, il chirografo segnato dalla santa memoria d'Innocenzo XII. Nostro predecessore li 19 giugno 1694 confermatorio delle regole poste a piè della tabella dell'entrata, ed uscita del Nostro popolo romano, qualsivoglia risoluzione, o decreto della congregazione particolare sopra l'azienda, ed interessi della stessa camera capitolina, deputata dalla santa memoria di Benedetto XIV., e qualunque altre si siano regole, statuti, riforme, usi, stili, e consuetudini che in qualsivoglia modo facessero, o potessero fare in contrario; benchè contenessero derogatorie di derogatorie, e fossero necessarie da esprimersi; delle quali cose tutte, avendone il di loro tenore qui per inserto, e di parola in parola sufficientemente espresso, per questa volta solamente, e per l'effetto suddetto pienamente, ed amplamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico di monte Cavallo questo dì 13 luglio 1771.

Clemens PP. XIV.

Datum die 13 Julii 1771. Anno III.

## CXXXI.

Prohibitio extrahendi libros a bibliotheca conventus ordinis minorum sancti Francisci Conventualium civitatis Messanensis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Per excommunicationem latæ sententiæ, et uni summo Pontifici reservatæ, cuilibet adimitur potestas extrahendi libros.

§. 1. Conservationi, et manutentioni librorum bibliothecæ, seu mansionis pro custodia librorum destinatæ conventus sancti Francisci ordinis fratrum minorum ejusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Messanensis, quantum cum Domino possumus benigne consulere, ac dilectos filios guardianum, et fratres dicti conventus specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati: ne de cætero quisquam quavis auctoritate, officio, et superioritate fungens, libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta tam hactenus eidem bibliothecæ, seu mansioni donata, et assignata, quam in posterum donanda, et assignanda quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione e bibliotheca, seu mansione hujusmodi extrahere, et asportare, seu ut commodentur, aut extrahantur, et asportentur permittere ac consentire audeat quovis modo, vel præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda pœna, a qua nemo absolutionis beneficium a quoquam præter quam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus valeat obtinere, auctoritate apostolica, tenore præsentium prohibemus, et interdicimus.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur, ut firmius constitutio suam obtineat executionem.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, conventus, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præcipitur quod exemplar prohibitionis ad bibliothecæ valvas continuo retineatur.

3. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ bibliothecæ, seu mansionis, aut alio loco conspicuo, ut ab omnibus cerni, et legi possit, affixum assidue remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima tertia julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

Datum die 13 Julii 1771. Anno III.

## CXXXII.

Prohibitio ne personæ sæculares, seu ejusdem ordinis nisi fratrum de familia consanguinei, vel affines sint in primo, et secundo gradu tantum, vel alterius ordinis regulares in conventu ordinis sancti Francisci Conventualium civitatis Messanensis hospitari valeant.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Graves abusus et incommoda memorantur, quæ ex frequenti hospitio exterorum in conventibus promaneant.

§. 1. Ad ea per quæ regularium domorum utilitati, ac religiosorum in eis degentium tranquillitati, et quieti consulitur libenter intendimus, ac apostolicæ providentiæ partes desuper interponimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque sicut dilecti filii moderni guardianus, et fratres conventus ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Messanensis nobis nuper exponi fecerunt, ex frequenti hospitio exteris in prædicto conventu præstito graves abusus, et incommoda in ejusdem conventus præjudicium suborta fuerint. Ne igitur conventus, et exponentes prædicti majoribus premantur angustiis opportunum per nos remedium adhiberi

summopere cupiant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Consulitur propterea, denegata facultate recipiendi hospites, qui in primo, et secundo gradu consanguinei, vel affines non fuerint, sub poena excommunicationis latæ sententiæ, et uni summo Pontifici reservatæ.

§. 2. Nos igitur dictorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; ut de cætero prædicti conventus superiores, et fratres cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis existant, nullam personam sæcularem etiam ecclesiasticam, aut cujusvis alterius ordinis regularem in dicto conventu pernoctari facere, vel permittere audeant quovis modo, seu præsumant, nisi in primo, et secundo gradu tantum consanguinei, vel affines sint illorum fratrum, quos in conventu hujusmodi nunc, et pro tempore commorari contingat; aut archiepiscopi, et episcopi, vel quavis alia ecclesiastica dignitate pollentes ex eodem ordine existant, sub excommunicationis, et privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, a quibus absolutionis, et rehabilitationis beneficium nemo a quoquam præterquam a nobis, et romano Pontifice pro tempore existente nisi in mortis articulo constitutus,( quoad excommunicationis hujusmodi tantum) valeat obtinere, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum, et sanctio poenalis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, supradicti ordinis, et conventus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in aliquo conspicuo ejusdem conventus loco, ubi ab omnibus cerni, et legi possit, affixum assidue remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima tertia julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXXXIII.

Dat. die 13. Julii 1771. Anno III.

Decreta condita a bo. mem. Frangipani visitatori apostolico confirmantur cum nonnullis ordinationibus universitatem textorum urbis respicientibus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam

Memorantur privilegia a summis Pontificibus universitati, et hominibus textorum urbis concessa.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas, et homines artis textorum almæ urbis Nostræ, quæ sane universitas ex quatuor artibus constituitur, eorum nempe qui aut opera linea seu serica, ac aliorum qui fasciculas vulgo trine nuncupatas seu opera ex lana conficiunt, quod alias felicis recordationis Leo pp. X. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xix. augusti MDXVII. expeditas literas ecclesiam tum sancti Marci in Macello, nunc vero sanctæ Mariæ angelorum, et sanctæ Agathæ in Macello martyrum nuncupatam eidem universitati concessit, et elargitus fuit, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Universitas certo regitur sub statuto.

§. 2. Pro recto autem ejusdem universitatis gubernio, et regimine, ac in publicum quoque bonum condita deinde fuerunt anno MDLXXI. nonnulla statuta, quæ postmodum tam a tunc existente senatore urbis prædictæ, quam a recolendæ memoriæ Sixto pp. V., et Urbano VIII. prædecessoribus Nostris approbata, et confirmata fuerunt; nec non pro celeri, ac prompta solutione, et executione tam annualium taxarum, quam emolumentorum debitorum pro literis patentibus nuncupatis obtinendis

et accipiendis ab iis, qui prius tamquam tyrunculi vulgo fattori nuncupati artis præcepta didicissent, et prævio examine, artem ipsam deinde exercere vellent eidem universitati a piæ memoriæ Innocentio pp. XII. prædecessore Nostro anno MDCXCIX., et a rec. me. Clemente pp. XI. prædecessore itidem Nostro anno MDCCXIV. assuetum manus regiæ privilegium concessum fuit, quod successive a fel. record. Benedicto pp. XIII. prædecessore quoque Nostro non solum per suas in forma motus proprii die xxiii. julii MDCCXXVI. expeditas literas confirmatum, extensum et ampliatum fuit, verum etiam idem Benedictus prædecessor ibidem declaravit, ut omnes quocumque privilegio præditi, et quascumque patentes literas obtinentes, vulgo *patentati*, *e privilegiati* nuncupati qui in hac alma urbe quocumque modo texere voluissent, statutarias leges prædictas observare, ac emolumenta patentium literarum, et annuales taxas universitati hujusmodi persolvere deberent, ac alias prout in eisdem literis, quarum pariter tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quæ sane emolumenta, et annuales taxæ in sacra pietatis æde deponi solent, ac creditum ecclesiæ ipsius universitatis, et liberam dispositionem pro tempore existentium illius primicerii, et consulum, quorum ordine in celebrationem missarum, et manutentionem ecclesiæ, ac universitatis hujusmodi, ac in solutionem ministrorum, et dimissionem æris alieni, quibus universitas ipsa reperitur gravata, religiose, ut par est, erogentur, et convertantur.

Statutariis legibus aliquid superadditum fuit ex decreto præsulis Frangipani judicis deputati.

§. 3. Verum quia non obstantibus legibus statutariis prædictis, et generali obligatione omnium ad illas exequendas, atque observandas rec. me. Benedictus pp. XIV. prædecessor quoque Noster intellexit, et agnovit, quod ars textorum in dicta urbe licet admodum utilis, et necessaria in præceps dietim rueret, quodque regulæ in utilitatem tam ipsius artis, quam publicam præscriptæ executioni minime demandarentur; hinc opportunum esse duxit pro eliminandis omnibus inordinationibus, et malis in arte prædicta exortis in apostolicum visitatorem universitatis prædictæ deputare tunc in humanis agentem Petrum Frangipani causarum palatii apostolici auditorem, qui pro recta ejusdem universitatis directione, et gubernio die prima maii MDCCLVII. decretum prius edidit, tenoris, qui sequitur nempe

DECRETO

*Pietro Frangipani uditore della sagra Rota, e della chiesa di santa Maria degli Angeli, e università de' tessitori visitatore apostolico.*

Tenor decreti ab eodem præsule conditi.

§. 4. Acciocchè sempre più da tessitori si perfezioni la maniera di ben lavorare drappi, e tutti altri lavori sì di seta, che di trina, da cui dipende il maggior aumento, e traffico de' medesimi; e nello stesso tempo non venga defraudata l'università delle solite tasse: inerendo, e confermando i statuti, e decreti altre volte su di ciò da detti corpi d'arte emanati, e particolarmente quelli del 19 marzo 1752 per i tessitori di trina, e delli 24 settemb. 1752 per i tessitori di seta, ordiniamo con il presente decreto, che dal primo giugno in avvenire verun maestro tessitore sì di seta, che di trina, possa ritenere a lavorare nelli telari, che ritiene tanto uomini, quanto donne, ancorchè questi, e queste concesse siano dallo statuto, se non avranno la *patentina* sottoscritta da Noi, ed in appresso da monsignor primicerio pro tempore, e dal console della rispettiva arte registrata dal computista, e con la ricevuta a tergo dell'esattore del pagamento della solita tassa; sotto la pena al maestro tessitore, in caso di contravenzione di scudi dieci d'applicarsi a favore di detta università, e sua chiesa per ciascheduna volta; e dopo la terza contravenzione ancorchè ne fosse stato per le antecedenti graziato, della perdita della patente di non poter tenere più telari in conto alcuno; e rispetto al lavorante di non essere più ammesso in verun modo a lavorare in detta arte.

Ordiniamo ancora, che tutti i suddetti lavoranti sì uomini, che donne debbino sempre sì per la festività di sant'Agata, sì per quella della Madonna santissima degli Angeli pagare la loro tassa in detti tempi per metà ripartita; ed i maestri non possino ritenerli a lavorare nelli loro telari, se non mostrano d'aver pagato la suddetta tassa fino al corrente termine; altrimenti dopo quindici giorni dopo lo scaduto pagamento di detti tempi non solo il maestro sarà tenuto del proprio a quello resterà debitore di tassa, o tasse non pagate dal lavorante, ma ben-

sì per pena della contravenzione dovrà di più pagare scudi due quante volte contraverrà. Per lo che ordiniamo, che le ricevute di pagamento di detta tassa si faccino sempre dall'esattore a tergo di detta patentina ad effetto con l'esibizione della suddetta possa il maestro riscontrare se il lavorante abbia facoltà di lavorare, e resti debitore di tassa: ed ogni volta sarà intieramente scritta da dette ricevute verrà data a detti lavoranti altra nuova patentina sottoscritta nella maniera sopra espressa, restituita però l'antecedente.

Rispetto poi alli fattori ordiniamo, che li maestri oltre l'osservanza di quello presceive lo statuto debbano per quelli, che ritengono presentemente, ottenere di più la licenza in scritto sottoscritta da noi, e dal console della rispettiva arte, e registrata dal computista dovendosi anche di questi ritenere l'elenco in computisteria, e così praticare per gli altri, che in avvenire da medesimi si prenderanno: altrimenti in caso di contravvenzione non solo rimarranno soggetti alla pena su di ciò ordinata dallo statuto; ma ogni volta si ritroverà, che ritenghino fattore senza averne riportata la licenza in scritto, ancorchè avessero adempito a quanto prescrive lo statuto, incorrerà il maestro nella pena di scudi due.

Dato, e pubblicato nella sagrestia di santa Maria degli Angeli questo dì 1. marzo 1757.

Pietro Frangipani visitatore apost.
Francesco Lucioli segr.

Et nova alia lata pariter ad rem fuere decreta, pro singulis artibus universitatem constituentibus.

§. 5. Deinde vero idem Petrus visitator apostolicus prædictus re serio perpensa antequam suam visitationem absolverit die 31 septembris ejusdem anni alia decreta tulit respicientia unamquamque ex quatuor artibus, quæ, ut præfertur universitatem ipsam constituunt, quorum tenor est qui sequitur videlicet

*Primo per quello riguarda in genere tutti quattro i corpi d'arte*

Tenor primi decreti generatim complectentis quamcumque artem in universitate comprehensam.

§. 6. Che non si possi da veruno tanto uomini, che donne alzare, e molto meno ritenere telari se prima non avrà ottenuta la patente nelle debite forme con aver pagato tutto l'intiero, e riportarne a tergo della medesima la ricevuta per saldo dell'esattore sotto la pena della perdita delli telari.

Che quelli, li quali avranno l'intiera patente potendo ritenere quel numero di telari gli piace, s'intenda però sempre, che quelli vengano ritenuti tutti in una medesima casa, non potendo ritenersi in diversi luoghi sotto la pena di scudi dieci per qualunque contravenzione.

Che detta patente passi da padre in figlio progressivamente, ma non in altre persone ancorchè da zio in nepote, da fratello in fratello, da marito in moglie riportandosi su di ciò rispetto a' tessitori di lino, e lana a quello dispone lo statuto, e riguardo alli altri di seta, e trina ad altro nostro decreto.

Per quello di più riguarda i tessitori di lino avendo questi formati i loro statuti non rimane, che procurarsi l'osservanza de'medesimi, con procurare di aumentare i tessitori specialmente di opera, non ritrovandosi al presente, che pochi di questi, esercitandosi una tal professione intieramente da donne, quali non fanno, che lavori lisci, e correnti.

*Per l'arte de'tessitori di seta e trina.*

Tenor secundi decreti circa artem textorum sericorum operum, et fasciclarum.

Non provvedendo per dette due arti i statuti come si è notato in principio, e non ritrovandosi finora da medesimi formati se non che pochi decreti per il governo, e buon regolamento delle medesime, ed avendo noi in tempo della nostra visita prese delle risoluzioni uniformi anche alle loro determinazioni, e di maggior spiegazione delle medesime, le più rilevanti delle quali esprimiamo nelli presenti decreti, ordinandone un esatta osservanza.

Che non possa dar patente a veruno, se non avrà esercitato cinque anni l'arte di tessitore, e che ne debba perciò fare istanza nella congregazione delli Tredici del rispettivo corpo d'arte, quale dovrà esattamente esaminare se ha tutti li requisiti necessarj per potere essere ammesso all'esame, con formare a tal'effetto un bussolo dal quale dovranno estrarsi gli esaminatori in detta congregazione, e da quelli, che rimarranno estratti alla presenza del console, dovrà essere esaminato; ed approvato che sia, dovrà pagare scudi quindici in mano dell'esattore per la patente, che gli si spedirà nelle solite forme sottoscritte da monsignor primicerio, console, e registrata dal computista, e quelle patenti, che si spediranno non servate le cose suddette, saranno nulle, e resterà soggetto il con-

sole, che le avrà spedite alla pena di scudi venti. Dichiarando, che dette patenti passino da padre in figlio progressivamente, ma non in altre persone ancorchè da zio in nepote, da fratello in fratello, da marito in moglie che resterà vedova di ritenere, e poter ritenere due telari (non lasciando il marito figli) sua vita naturale durante, nei quali casi dovrà soltanto pagarsi il rivolto delle patenti nella somma di uno scudo.

Che non si possa patentare veruna donna, e che soltanto rispetto a quelle, che si ritrovano esercitare l'arte di seta, e che l'abbiano esercitata per cinque anni possa concedersegli una mezza patente, mediante la quale possa ritenere due telari per soli taffettani, e castorini, con pagare la somma di scudi sette e mezzo; e nel caso si abusassero con porre sopra il telaro altri lavori fuori di detta sfera, dovranno per la prima volta pagare la pena di scudi due, e per la seconda di scudi quattro, e ritrovandosi per la terza volta perderà la patente, nè potrà ritenere più telari di sorta alcuna.

Che verun maestro possa andare a lavorare in altri telari, e solo nel caso, che non avesse lavoro sufficiente ne'suoi telari gli sarà permesso, mediante però la licenza da ottenersi da monsignor primicerio, e console da darsi ad tempus, sotto pena al maestro, che lo riterrà di scudi due, e scudo uno a quello, che anderà per lavorante.

Che per li lavoranti, e fattori debba osservarsi quanto si è prescritto nel decreto da noi pubblicato il primo maggio 1757., con dichiarazione, che non possa più ammettersi per lavorante di dette arti veruna donna, eccetto, che la moglie, figlie, sorelle, e nipoti per parte di uomo de'proprj maestri, a seconda anche di quello è stato più volte stabilito, e decretato da detti corpi d'arte.

*Per li tessitori dell'arte di lana.*

Tenor decreti pro textoribus operum ex lana confectorum.

§. 8. Non essendovi per detta arte se non che pochi decreti, per lo che dal principio della nostra visita credessimo opportuno di pubblicarne alcuni per il miglior regolamento della medesima, ai quali data anche una maggior spiegazione, ed aggiuntovi ciò che abbiamo osservato di maggior vantaggio li comprendiamo ne' seguenti decreti.

Che quelli solamente hanno l'intiera patente possino ritenere più telari.

Che chi avrà soltanto la mezza patente non possa ritenere che un sol telaro.

Che in avvenire non si concedino più quarti di patente, e che quelli si ritrovano averle presentemente non possino lavorare se non insieme ad un altro, che abbia simil quarto di patente.

Che non si possino ritenere fattori se non da quelli che hanno l'intiera patente.

Che li padroni di telari debbino ritenere alli lavoranti, ossiano maestri, che lavorano ne' loro rispettivi telari, come anche alli fattori bajocchi due e mezzo per ciascuna settimana, fino a tanto che saranno arrivati alla somma della tassa statutaria da pagarsi alla detta chiesa, altrimenti saranno obbligati li detti padroni pagare la tassa del proprio. Perciò ordiniamo, che nel solito giro venga distintamente notato il padrone del telaro con quelli vi lavorano, rimanendo il detto padrone obbligato a pagare il termine della tassa per quello sarà stato descritto, che lavorava nel suo telaro, ancorchè corrente detto termine non vi lavorasse più.

Che nessun padrone possa in avvenire prendere alcun lavorante, ossia maestro, che vada per lavorante, se questo non avrà riportato il suo ben servito dal precedente padrone, nè al detto lavorante, o sia maestro sarà lecito di partire dal suo padrone, se prima non avrà terminato il lavoro già incominciato, e intieramente soddisfatto il medesimo di tutto quello gli sarà debitore, compreso il termine della tassa; ed in caso contrario il padrone che prenderà detto lavorante, ossia maestro, resti soggetto alla pena di scudi due, oltre la reintegrazione tanto del debito del lavorante, che de' danni a favore del primo padrone, nella qual pena di scudi due rimarrà soggetto ognuno, che contraverrà a ciascuno de' sopra riferiti decreti.

E venendo il caso, che al detto lavorante, o sia maestro terminato il lavoro, e soddisfatto intieramente il padrone, fosse da questo negatogli il ben servito, allora ricorrerà al console, che riconosciuto non avere il padrone giusto motivo di negarglielo, dovrà esso farlo.

Che non si possa patentare veruno, anche per mezza patente tanto uomini, che donne se non avrà fatto il fattorato di quattro anni presso il maestro, che abbia l'intiera patente mediante l'istromento da rogarsi dal

notaro dell'università, nel qual tempo per morte del padrone, o per altro fatto potesse accadere se non con licenza in iscritto di monsignor primicerio, e console potrà sotto un' altro terminare detto fattorato.

*Per li lavoranti sì uomini che donne*

Tenor decreti editi circa operarios, qui universitati subjiciuntur.

Rimangono li lavoranti, sì uomini, che donne di quattro corpi di arte in vigore di nostro decreto, che presentemente confermiamo soggetti alla detta chiesa, ed università, pagando la tassa di bajocchi trenta a favore della medesima dovendosi per questi mantenere l'altare del santissimo Crocifisso colla messa, che ivi si dice ogni venerdì, e solennizzando questi la festa dell'esaltazione della santissima Croce alli 14. di settembre si deve per detta festa provvedere l'altare di sei libbre di cera, ed uno scudo per il festarolo, eleggendo anche essa i loro rispettivi guardiani, quali non devono avere altra cura, che implorare l'autorità di monsignor primicerio per l'osservanza dei decreti, e di quello, che a' medesimi riguarda; su di che potranno coll'ordine di detto prelato fare ogni atto necessario, non essendo più presentemente bisogno, che da'medesimi venga fatto il giro, particolarmente rispetto alla seta, e trina per descrivere i detti lavoranti per il pagamento delle tasse, però ordiniamo, che senza ordine di detto monsignor primicerio non debbino far detto giro.

Dichiarando, che a' medesimi non spetta veruna ingerenza circa l'amministrazione, e versione del denaro di dette tasse, rimanendo questa a comodo di detta chiesa, ed università, e nell'entrate della medesima.

Per quello poi riguarda i lavoranti tessitori sì di seta, che di trina, come anche li fattori di detti due corpi d'arte, abbiamo di più provveduto con il decreto già stampato, pubblicato, ed eseguito sotto il dì primo maggio 1757. che s' inserisce in fine.

Volendo dar fine alla visita, fatta perciò intimare per il giorno 21 settembre la congregazione generale, ci portassimo nella chiesa ove ascoltata prima la santa messa, facessimo di poi leggere la presente visita, e suoi decreti, inculcandone un' esatta osservanza. E rese le dovute grazie al Signore, alla santissima vergine Maria titolare di detta chiesa, alla vergine sant' Agata protettrice di detta università, ci dichiarassimo con il presente atto di porre fine, ed avere per terminata, e chiusa la detta visita.

Data e pubblicata nella chiesa di santa Maria degli Angeli sotto il giorno 21 settembre 1757.

Petrus Frangipani visitator apost.

Memoratur quomodo fraudatis decretis hujusmodi plurima incommoda surrexerint et abusus inoleverint.

§. 10. Hæc tamen omnia optatum finem minime sunt assecuta; irrepsit namque abusus, quod nonnulli etiam exteri, seu tantummodo laboratores vulgo *lavoranti* nuncupati artem ipsam minime callentes, vel requisitis per statuta, et decreta prædicta volitis ad hoc ut in ea magistri declarentur, nequaquam præditi, obtinere curant patentes literas tamquam bombardarii, seu libratores tormentarii arcis nostræ sancti Angeli de urbe auxiliatores, quarum vigore tamquam magistri publica etiam promptuaria aperiunt, ac parvipensis legibus, ac regulis artis, annuales taxas, ac emolumenta patentium universitati prædictæ minime solvunt, non sine gravissimo damno eorum, qui vere in arte magistri sunt, quique propterea, ut a legibus statutariis, et decretis prædictis se immunes reddant, ac soluti, et ipsi pariter patentes literas bombardariorum, ac auxiliatorum hujusmodi reportare procurant; ita ut undecim modo in textorum arte, qui has patentes obtinent numerentur, ac præterea ii, qui statutis, et decretis prædictis subjecti sunt eorum executionem non sine quoque litium, ac universitatis dispendio effugere satagunt.

Ut vero malis remedium afferatur expostulatur statutorum, ut decretorum confirmatio.

§. 11. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tot averterentur inordinationes, ac incommoda, quoties statuta, et decreta ejusdem visitatoris apostolici a Nobis approbentur, eaque ab omnibus utcumque bombardariorum hujusmodi patentibus literis prædictis observanda, ac exequenda præcipiantur, simulque nunc, et pro tempore existentibus protectoribus, ac primiceriis ejusdem universitatis privativa jurisdictio summarie, et sine strepitu, ac figura judicii cognoscendi causas dumtaxat respicientes executionem eorumdem statutorum, et decretorum tribuatur. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicæ sanctionis complectentis statuta, et decreta universa

§. 12. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis cen-

suris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione, et voto dilecti filii Nostri Joannis Constantii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Caracciolo nuncupati ejusdem universitatis apud Nos, et apostolicam Sedem protectoris, præinserta statuta, et decreta edita in visitatione bonæ memoriæ Petri Frangipani cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium in forma specifica confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ perpetuæ firmitatis robur adjicimus, eaque perpetuis futuris temporibus servari, et exequi omnino decernimus, et mandamus.

Speciales providentiæ circa numerum, et munera bombardariorum arcis sancti Angeli.

§. 13. Præterea volumus, quod ex universitate prædicta duo tantummodo, et non plures nunc, et in posterum ad munus *di bombardiere* nuncupatum hujusmodi pro castro sancti Angeli valeant adsumi, quos duos quidem ab obligatione accipiendi ex ipsa universitate literas patentes, et a certis oneribus, mulctis, et a quacumque erga eamdem universitatem subjectione exemptos esse debere declaramus; ex undecim autem iis, qui ex prædicta universitate desumpti sunt, quique modo in castro sancti Angeli muneri *di bombardiere* hujusmodi sunt addicti, duos solumodo, et quidem antiquiores in munere isto, una cum præmissa exemptione, et privilegiis remanere debere volumus, atque statuimus; reliqui vero novem licet ex speciali gratia removeri a munere ipso non valeant, eos tamen quousque ipsi vivant subjectos esse visitationibus, et mulctis ex parte ejusdem universitatis indicendis declaramus, nec ullam cæteroquin in istorum vicem post eorum mortem subrogationem faciendam esse præscribimus et jubemus.

De alumnis recipiendis, ab eis qui universitati subjecti sunt.

§. 14. Omnes autem comprehensis, nimirum etiam primis duobus, et qui in horum locum omni tempore deinceps erunt subsumendi, ut gaudeant quidem, et fruantur præstare adsciscendi, et faciendi in arte alumnos juxta tamen præscripta statutorum, et decretorum, de quibus supra, et non aliter, nec alio modo statuimus, atque sancimus.

Cardinali protectori Comittitur statutorum, et decretorum observantia.

§. 15. Insuper eidem Joanni cardinali nunc, et pro tempore existentibus protectoribus, et primiceriis ejusdem universitatis moderatam facultatem homines universitatis prædictæ in re cæteroquin ad eorumdem statutorum, et decretorum observantiam, et executionem pertinente coercendi realiter, et mulctandi in alia pœna, et mulcta non excedente tamen summam, et valorem scuti unius, omni recursu, vel reclamatione postpositis auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Decernentes ipsas præsentes literas, et statuta, ac decreta prædicta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus felicis recordationis Clementis pp. XIII. prædecessoris Nostri literis in forma motus proprii expeditis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia julii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXXXIV.

Dat. die 7. augusti 1771. Anno III.

Excellentissimo magistratui almæ urbis conceditur, ut oblationem ex bonis cameræ capitolinæ præbere possit venerabilibus nonnullis ecclesiis de urbe.

Expositio oblationum peragendarum a populo romano, ex qua concluditur supplicantibus ecclesiis gratiam non posse elargiri, quam per decretam alternativam cum aliis tali donatis privilegio.

§. 1. Conservatori della nostra alma città di Roma. Essendoci state esposte l'umili istanze per parte non meno dei religiosi della chiesa del Gesù e Maria dell' ordine Agostiniano scalzi, quanto per parte dei padri di s. Pantaleo delle Scuole Pie di questa città, come pure per parte del decano generale e confrati della ven. archiconfraternita della chiesa di s. Anna de' parafrenieri in Borgo per poter ottenere in quanto alle predette due chiese del Ge-

sù, e Maria, e di s. Pantaleo dal Nostro senato, e popolo romano l'oblazione consueta del calice, e torce, in quanto a quella di s. Anna l'oblazione solamente ogni anno di quattro torce da farglisi tenere nelle rispettive ricorrenze delle festività espresse nell'accennate loro suppliche, quali da Noi benignamente accolte a voi furono rimesse per poter in qualche modo provvedere alle indicateci necessità delle sudette chiese alla cura dei supplicanti appoggiate, alle quali avendo voi riguardo, ci avete rappresentato nella nostra udienza delli 13 luglio prossimo passato, che inclinando ancor voi al provvedimento occorrente delle nominate chiese, senza veruna esitazione sareste stati solleciti a supplicarci, perchè ci fossimo degnati aggiunger simil peso alla nostra medesima camera capitolina; ma poichè questa presentemente per li fissi assegnamenti a quali ogni anno deve rispondere, anche riguardo alle predette considerabili oblazioni, non è certamente in grado di poterle accrescere; nulla di meno per non rendere affatto frustranee, ed inutili l'istanze predette dell' accennate chiese, ci avete rappresentato, che con restringere ad alcuna delle molte chiese di questa città che godono simile oblazione, o fisse ogni anno, o in ogni biennio, potriasi provedere alle due dette del Gesù, e Maria, e di s. Pantaleo; e per eseguire tal ristrettiva ci avete poste sotto gli occhi tra le altre, la chiesa di s. Sebastiano in Campo Vaccino, quale benchè poco, o niente frequentata, fosse nulla di meno dalla sa: me: di Urbano VIII. nostro predecessore aggraziata della presentazione del calice, e torce ogni anno, come dal suo Breve in data li 10 gennaro 1632, quale poi dalla sa. me. di Benedetto XIII. con suo particolar Breve in data li 28 settembre 1725 fosse ristretta con non poche altre all'alternativa di ogni biennio, ed a quest'ora abbia goduta detta oblazione oltre il centenario di volte, delle quali potria stringersi a render conto, se abbia conservati detti calici, o divertiti in altri sagri arredi per uso della medesima. E similmente abbiate osservato, che l'oratorio della santissima Communione generale aggraziato della medesima oblazione in ogni biennio dalla sa. me. di Clemente XIII. nostro predecessore con suo chirografo segnato li 8. novembre 1760 non tiene che un solo altare, e non saggiace a verun obbligo di messe, e per lo più nei giorni feriali dell'anno, la mattina in specie, sta sempre chiuso, benchè nelle sere vi si esercitino opere di somma pietà e religione, onde che abbiate creduto che per l' occorrente bisogno di detto oratorio sia già stato sufficientemente proveduto, quantunque però nè al detto oratorio, nè alla suddetta chiesa di s. Sebastiano in Campo Vaccino togliere stimate affatto detta oblazione, ma questa restringergliela ad ogni quadriennio siccome la godono molte altre chiese di questa città, che sono anche molto più frequentate, ed hanno molti obblighi di messe per le quali hanno il maggior consumo dei calici, e così potriasi far godere alle due supplicanti chiese del Gesù e Maria, e di s. Pantaleo l'oblazione del calice, e torce in ogni quadriennio. Ed in quanto all' istanza dei confrati della chiesa di sant' Anna condiscendereste a fargli ottenere in ogni biennio l'oblazione di quattro torce, solamente negli anni però, ne'quali non gode l'offerta del calice, e torce nel quadriennio assegnatole. E per poter eseguire quanto sopra ci avete rappresentato, ci avete umilmente supplicato a volerci degnare di concedervi il Nostro apostolico beneplacito, e darvi ancora tutte le opportune e necessarie facoltà di poter voi pienamente adempire quanto, e come sopra ci avete esposto.

§. 2. Onde Noi, che abbiamo sommamente a cuore, che il culto divino, e l' occorrente per il medesimo sia al possibile ripartito alle chiese di questa nostra città, considerando anche la strettezza della nostra camera capitolina, ed insieme gli onesti, e molto giusti provedimenti da voi, come sopra umiliatici, come pure il merito, e la necessità delle dette due chiese del Gesù e Maria, e di s. Pantaleo, volendo loro rimostrare gli atti della nostra paterna clemenza siamo ben volontieri condiscesi a concedervi, come in virtù del presente nostro chirografo vi concediamo, il nostro pieno apostolico beneplacito, e colla nostra suprema assoluta pontificia potestà vi diamo tutte le facoltà necessarie, ed opportune di poter restringere, come Noi con il presente chirografo restringiamo, tanto alla suddetta chiesa di s. Sebastiano in Campo Vaccino, quanto al sudetto oratorio della santissima Communione generale l'oblazione che già come sopra godevano in ogni biennio in virtù dell'accennato Breve di Urbano VIII. così ristrettale dalla sa. me. di Benedetto XIII. in quanto alla detta chiesa di san Sebastiano, e del suddetto chirografo di Clemente XIII.

*Ideoque alternativa certis sub legibus constituitur.*

in quanto all'oratorio suddetto da ora in avvenire ad esserne partecipi ogni quadriennio. E la medesima offerta del calice, e torce la farete godere in avvenire in perpetuo ogni quattro anni inclusive colle consuete formalità, ed obligazioni espresse nelle tabelle di dette distribuzioni, e specialmente enunciate nel nostro chirografo segnato li 13. luglio del presente anno 1771. alle due sopraddette chiese del Gesù e Maria nella ricorrenza della festa del glorioso s. Tommaso di Villanova del medesimo ordine Agostiniano il di 18 settembre dell'anno 1773 anticipandole questa per la prima volta nel presente anno 1771 e sospenderla nel suddetto anno 1773. Ed a quella di s. Pantaleo de' padri Scolopj l'anticiparete parimente nel presente anno nel dì 27 agosto in cui si solennizza in detta chiesa la festa del glorioso s. Giuseppe Calasanzio fondatore della ven. congregazione delle Scuole Pie esimio benefattore e molto bemerito di questa città, sospendendola questa nell'anno avvenire 1773. facendo all'una, e altra di dette chiese per la seconda volta dett'oblazione nell'an. 1777. E nella festa che si celebra dalla suddetta archiconfraternita li 26. luglio in ogni biennio di sant'Anna le farete tenere l'offerta semplice di quattro torce come si è detto di sopra, e darete tutti gli ordini necessarj per il pagamento delle medesime de' denari della nostra camera capitolina, facendola descrivere colle predette due chiese del Gesù e Maria, e di san Pantaleo nella nuova tabella da formarsi con tutte le necessarie istruzioni dell'obligazioni delle suddette due chiese, e di tutte le altre che godono simili oblazioni per ogni miglior regolamento, quale così formata, sottoscritta che sia dal nostro reverendissimo card. vicario farete darla alle stampe, che per la piena osservanza in avvenire della medesima la farete distribuire a tutte le chiese partecipanti di dette oblazioni con l'obligo di ritenerla affissa nelle loro sagrestie. Essendo così mente, e volontà Nostra precisa.

Clausulæ salutares pro plena chirographi executione

§. 3. Volendo e decretando, che il presente Nostro chirografo con la semplice nostra sottoscrizione, vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, vigore, ed esecuzione, benchè non si registri in camera, a tenore della Bolla della sa. me. di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis*, bastandoci, che sia registrato dallo scrittore del Nostro popolo romano nel solito libro del Campidoglio. Derogando Noi colla nostra suprema assoluta pontificia potestà, non solamente alla predetta Bolla del detto sommo Pontefice Pio IV. *de registrandis*, ma a qualunque altre si siano costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' sommi Pontefici Nostri predecessori, ed in specie alli suddetti Brevi delle sa. me. di Urbano VIII. concernente la concessione ogni anno dell'oblazione suddetta del calice, e torce alla detta chiesa di san Sebastiano; ed il Breve ristrettivo di Benedetto XIII. dell'oblazione suddetta in ogni biennio, che dovrà goderla in avvenire ogni quadriennio; avendo anche Noi considerato più che sufficiente alla detta chiesa tal fissazione, a misura di simil tempo che ne sono partecipi non poche altre chiese di questa città; siccome il chirografo degli 8 novem. 1760 della sa. me. di Clemente XIII. a favore dell'oratorio sudetto della Communion generale, che per li sopraddetti motivi restringiamo a poter godere detta offerta ogni quadriennio; stimando, come sopra, più che sufficiente per il medesimo tal ristrettiva. E così vogliamo, e ordiniamo, che contro il presente nostro chirografo non si possa mai dare veruna eccezzione di surrezzione, orrezzione, eccesso, e difetto alcuno della nostra volontà, benchè non vi siano stati chiamati, citati, nè intesi li superiori, e procuratori della suddetta chiesa di s. Sebastiano, e quelli del suddetto oratorio, il fiscale della nostra camera capitolina, li sindici del nostro popolo romano, e qualsisia altra persona, che vi avesse, o potesse pretendere di avervi qualsivoglia interesse.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 4 E così, e non altrimenti debba giudicarsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice tanto ordinario, che delegato, e di qualsisia autorità, e da qualsivoglia tribunale privilegiatissimo della nostra rota, segnatura, e camera, e dalli rmi cardinali camerlengo di s. Chiesa, e dal Nostro vicario, togliendo Noi a loro fin d'adesso, ed a ciascheduno di essi ogni, e qualunque facoltà, che avessero, o potessero avere di poter giudicare, ed interpretare il contrario di quanto abbiamo ordinato, e disposto nel presente nostro chirografo, non ostante la regola della Nostra cancelleria *de jure quæsito non tollendo*; alla quale, siccome ad ogn' altra costituzione, ed ordinazione apostolica Nostra, e de'sommi Pontefici Nostri predecessori, e a qualsisiano altre regole, e in specie a quelle espresse nella tabella dell'entrata, ed uscita del No-

stro popolo romano benchè confermata dalla sa. me. d' Innocenzo VII. Nostro predecessore con suo chirografo segnato li 19. giugno 1694. e a qualsisia risoluzione, e decreto della congregazione particolare deputata dalla sa. me. di Benedetto XIV. sopra l' azienda e interessi della detta Nostra camera capitolina, e qualsisiano altri statuti, regole, riforme, stili, usi, e consuetudini, e qualsisiano altre cose, benchè contenessero derogatorie di derogatorie, e fossero degne di speciale, ed individua menzione, delle quali cose tutte, e singole, avendone il di loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, per questa volta solamente, e per l'effetto suddetto, espressamente, e pienamente deroghiamo. Data dal nostro palazzo apostolico del Quirinale. Questo di 7. agosto 1771.

---

Dat. die 9. augusti 1771. Anno III.

## CXXXV.

**Præceptum**, ut regula usque adhuc observata in administratione eleemosynarum etiam in posterum servetur, pro capitulo, et canonicis collegiatæ ecclesiæ beatæ Mariæ virginis de Annesio diœcesis Gebennensis.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoram.

Proemium.

§. 1. Vices illius, licet immeriti, gerentes in terris, qui cum in sede majestatis advenerit, singula in pauperes pietatis, et charitatis opera sibi ipsi facta, aut abnegata in æternam electorum retributionem, et perpetuam reproborum pœnam rependet, pastoralis solicitudinis Nostræ partes esse ducimus, christifideles omnes ad pia hæc opera peragenda in pauperum præsertim infirmorum levamen excitare, atque illos, qui ea usque adhuc peregerunt, et zelo domus Dei flagrantes in ecclesiarum quoque decus augendum opem, ac operas suas impenderunt, justis laudibus prosequi, ac in proposita agendi ratione, quoad Nobis integrum est, jugiter confirmare.

Laudatur pietas christifidelium, qui decori consuluerunt collegiatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ nuncupatæ de Annesio.

§. 2. Cum itaque sicut nuper accepimus, jam dudum christifideles non solum diœcesis Gebennensis, sed aliarum quoque circum existentium civitatum, et locorum ad ecclesiam regiam nuncupatam, et collegiatam sub titulo beatæ Mariæ virginis de Annesio memoratæ diœcesis devote confluere soleant, atque pro ipsius ecclesiæ, ejusque fabricæ, et hospitalis pauperum prædictæ ecclesiæ adnexi conservatione, manutentione, et incremento subsidia, ac eleemosynas præstare, aliaque laudabilia christianæ pietatis opera in id exercere assueverint, ac præmissa omnia usque adhuc gesta rite, ac recte administrata simul fuerint, ita ut ejusdem ecclesiæ decori, ac hospitalis prædicti sustentaculo inde provisum fuisse constiterit.

Eisdemque in perpetuum eadem administratio conceditur juxta formam, et regulam jam introductam.

§. 3. Hinc est, quod Nos eorumdem christifidelium pietatem, charitatem, ac devotionem plurimum in Domino commendantes, ut ea, quæ usque modo ab ipsis christifidelibus tam pie, ac laudabiliter gesta fuerunt, in posterum quoque perpetuo fieri, atque exerceri contingat, per præsentes præcipimus, et mandamus, ut eadem omnino regula, et forma, quæ usque adhuc in administratione, et executione præmissorum omnium recte, ac utiliter observata, et admissa fuit, deinceps quoque perpetuis futuris temporibus observetur, et exequatur, ac propterea omnibus, et singulis cujusvis status, gradus, et conditionis existant, ne aliter sub quovis prætextu, causa, et colore faciant, gerant, et exequantur, aut ab aliis fieri, et exequi permittant, auctoritate apostolica tenore præsentium prohibemus omnino, et interdicimus.

Clausulæ salutares, cum decreto irritante.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die nona augusti millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

Datum die 9. augusti 1771. Anno III.

## CXXXVI.

Fratres minores de Observantia provinciarum regni Franciæ, prævia dispensatione a voto perpetuæ obedientiæ suo generali ministro, uniuntur fratribus ordinis minorum Conventualium sancti Francisci, eorumque ministro generali subjiciuntur cum communicatione privilegiorum.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes sacræ familiæ minorum de Observantia.

§. 1. Sacram minorum familiam multiplicibus virtutum meritis Nobis acceptissimam, quam uti matrem agnoscimus, ac in visceribus charitatis pia veneratione semper habuimus, et habemus, specialibus gratiarum muneribus prosequendam esse, dignum, quin potius debitum existimamus; ita ut ea omnia, quæ inter illius filios pro feliciori gubernio, tranquillitate, ac pace per unitatis remedium constituta noscuntur, apostolica auctoritate roboremus, et alias in iis pastoralis officii partes favorabiliter intendamus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci tam Conventualium, quam de Observantia respective nuncupatorum omnium provinciarum in regno Franciæ existentium nobis expositum fuit a dilectis itidem filiis Francisco Pouret fratre expresse professo in sacra theologia magistro, et difinitore perpetuo dicti ordinis minorum Conventualium, et Claudio Roberto Husson ex-difinitore generali ordinis minorum de Observantia prædictorum tamquam ad hoc specialiter, et expresse deputatis a fratribus provinciarum, et ordinum respective hujusmodi, quod cum dudum, ineunte nempe sæculo decimosexto, fratres memorati ordinis minorum sancti Francisci de Observantia in dicto regno degentes a fratribus ordinis minorum ejusdem sancti Francisci Conventualium nuncupatorum separati, ac divisi fuissent; verus pacis, et unionis spiritus deinde effecit, ut pluries actum inter eos fuerit de restituenda antiqua communione, et unitate. Quod autem usque adhuc numquam evenerat, favente Deo, et auspicante carissimo in Christo filio Nostro Ludovico francorum rege christianissimo modo summa omnium consensione fauste, feliciterque evenisse conspicitur. Utrinque enim super re hac attente ac summa maturitate, ut par erat, pertractanda, habita consilia fuerunt; primum a fratribus minoribus de Observantia qui ad Parisiensem civitatem tres pro unaquaque provincia deputatos ad id miserunt, deinde vero ab aliis fratribus ordinis minorum Conventualium hujusmodi, qui in civitate Aquensi in provincia provinciæ sua habuerunt comitia de re hac, nec non de constitutionibus, quæ inde observandæ essent, accurate actum fuit, quibus ab utraque parte peractis, demum in dicta civitate Parisiensi, adstantibus venerabilibus fratribus archiepiscopo Arelatensi, et episcopo Ruthenensi, nec non dilecto filio Francisco Castan in sacra theologia magistro, et ipsius ordinis minorum Conventualium ministro provinciali ac præside, omnes unanimiter statuendum esse censuerunt, quod hinc inde mittendi essent ad hanc sanctam Sedem, et ad tunc proximum capitulum generale præfati ordinis minorum sancti Francisci Conventualium deputati, qui negotium hujusmodi penitus absolverent, atque conficerent.

Unio minorum de Observantia, cum Conventualibus a capitulo generali probata fuit, et decreti confirmatio propterea expostulatur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in eodem generali capitulo die vicesima secunda maji currentis anni MDCCLXXI. propositum fuerit generali definitorio tunc congregato, an, et quomodo unio minorum de Observantia cum Conventualibus præfatis ineunda esset, verboque, ac scripto omnium suffragiis responsum prodierit; affirmative, quoad primum, et quoad secundum idem definitorium se ad Nos affirmative habuerit: hinc dicti exponentes, et ut præmittitur, ab una, ac altera respective parte ad hoc deputati, Nobis humiliter omnium prædictorum nomine supplicari fecerunt, ut, prævia absolutione, dispensatione et derogatione omnium constitutionum, ac statutorum, etiam voto, aut juramento, seu quocumque alio modo obligantium, quæ fratres minores de Observantia in eodem Franciæ regno degentes professi fuissent; præcipue vero eorum quæ ad reformationem provinciæ Aquitaniæ antiquioris dicti ordinis spectant, a felicis recordationis Gregorio pp. XV. prædecessore Nostro approbata et confirmata fuerunt, unionem, adnexionem, et incorporationem eorumdem fratrum minorum Conventualium approbare, et confirmare, necnon modum, juxta quem unio hujusmodi peragenda, et exequenda sit, præscribere, et alias desuper in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Unio Pontificia auctoritate indulgetur.

§. Nos igitur ipsos exponentes, et fratres omnes prædictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: cum iisdem fratribus minoribus ordinis sancti Francisci de Observantia nuncupatis provinciarum regni Franciæ hujusmodi super voto perpetuæ obedientiæ pro tempore existenti ministro generali ordinis minorum s. Francisci de Observantia præstandæ per eos omisso, auctoritate apostolica tenore præsentium dispensamus, eosque ab omni superioritate, correctione, visitatione, et auctoritate, ac jurisdictione dicti ministri generalis eximimus, et liberamus; nec non fratres minores de Observantia prædictos a constitutionibus, statutis, etiam voto, aut juramento, seu quocumque alio modo per eos professis, præcipue vero ab iis, quæ a memorato Gregorio prædecessore, ad reformationem provinciæ Aquitaniæ antiquioris, ut præfertur, approbata et confirmata fuerunt, eorumque omnium executione, et observantia (tribus votis solemnibus dumtaxat exceptis) auctoritate, et tenore præfatis absolvimus, et pro absolutis, et liberatis haberi volumus, ac mandamus, præfatamque eorumdem fratrum minorum de Observantia provinciarum regni Franciæ hujusmodi cum fratribus ordinis minorum s. Francisci Conventualium prædictorum, unanimi utriusque partis consensione enixe volitam et petitam, ac in præfato capitulo a definitorio generali, ut præmittitur, admissam unionem pari auctoritate, et tenore confirmamus et approbamus, eamque perpetuis futuris temporibus in posterum utrinque servandam, et exequendam esse omnino statuimus, et jubemus.

Præscribitur modus, et forma qua unio intelligatur peracta.

§. 5. Præterea volentes formam, et modum, quo unio hujusmodi peracta intelligatur, et in futurum exequenda sit, statuere, atque præscribere, hinc est, quod Nos omnibus, et singulis fratribus ordinis minorum de Observantia nuncupatis provinciarum regni Franciæ hujusmodi, ut ipsi deinceps eumdem habitum, per fratres ordinis minorum Conventualium gestari solitum, deferre omnino debeant, ac sub uno eodemque ministro generali ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum vivere, eidemque generali ministro dependentiam, ac obedientiam præstare ipsi teneantur, auctoritate, et tenore prædictis decernimus, atque statuimus; iisdemque fratribus ordinis minorum de Observantia prædictarum provinciarum, ut omnibus, et singulis prærogativis, privilegiis, exemptionibus, gratiis, et indultis, quomodocumque, et qualitercumque fratribus ordinis minorum sancti Francisci Conventualium usque adhuc quomodolibet concessis, indultis et elargitis, et quibus præfati fratres ordinis Conventualium hujusmodi uturtur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia ipsi æque uti, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore similibus concedimus, et indulgemus.

Mandatur observantia constitutionum, quæ „Urbanæ„ nuncupantur, et respiciunt ordinem antedictum.

§. 6. Omnes vero sic in unum ovile et sub uno pastore redacti, qui sunt, et quandocumque erunt in provinciis regni Franciæ hujusmodi fratres ordinis minorum s. Francisci Conventualium omnino nuncupandi, ut perpetuis futuris temporibus constitutiones juxta tramites aliarum præcedentium constitutionum Urbanarum nuncupatarum jam pridem in dicta civitate Aquensi, ut præfertur, examinatas, et deinde a dilecto filio Aloisio Maria Marzoni ejusdem ordinis fratrum minorum s. Francisci Conventualium nuncupatorum moderno ministro generali jussu nostro revisas, et in aliquibus partibus reformatas, ac moderatas, ac sequenti titulo nuncupatas: *Constitutiones Urbanæ fratrum minorum s. Francisci Conventualium, ad breviorem methodum redactæ, et nuper a Clemente XIV. feliciter regnante confirmatæ, et declaratæ*: adamussim exequi, et perpetuo observari debeant, ac teneantur, præcipimus, statuimus, e mandamus: in bonorum omnium largitore Deo firmiter sperantes, quod ex unione, et incorporatione hujusmodi ii omnes, qui una nunc copulantur lege, ac sancta invicem charitate conjuncti sunt, uberes, dignosque fructus in propriam tranquillitatem et pacem, in ordinis minorum Conventualium decus, et demum in catholicæ fidei incrementum, divina favente gratia, sint allaturi; ipsique fratres sic invicem conjuncti, et simul fraterna charitate se diligentes, bonum et jucundum esse in unum habitare perpetuo agnoscant, et fateantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes præsentes literas semper et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in premissis omnibus et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis præfatæ nuncios, aliosve quoslibet quacumque potestate, et auctoritate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non utriusque ordinis, ac provinciarum præfatarum, earumque conventuum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si de aliis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac plenissime, et latissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris di ix. augusti MDCCLXXI. pontificatus nostri anno tertio.

## CXXXVII.

Dat. die 10. augusti 1771. Anno III.

Concessio officiorum vacabilium incliti populi romani, eorumque regaliarum salis.

Januarius de Simone protonotarius apostolicus Sanctissimi Domini Nostri papæ prælatus domesticus, et auditor, judexque commissarius specialiter electus, ac deputatus.

Chirographum auditori Sanctissimi exequendum committitur.

§. 1. Cum Sanctissimus Dominus Noster Clemens, divina providentia papa XIV. supplicationibus illustrissimi, et excellentissimi domini don Caroli Cesi ducis Aquaspartæ benigne inclinatus, chirographum propria manu Sanctitatis Suæ die 10. stantis augusti mensis subsignatum, nobis pro executione in eo contentorum direxerit, tenoris sequentis, videlicet

Tenor chirographi.

§. 2. Monsignor Gennaro de' Simone Nostro uditore =. Ci ha fatto rappresentare Carlo Cesi duca d'Aquasparta, che nell'anno 1719. esistendo nel giardino, e vigna detta del Monte, il colosso rappresentante Roma trionfante, colle due statue di pietra di paragone delli due re de' parti d'inestimabil valore, spettanti allora al duca Federico Cesi padre dell'oratore, e provenienti dal fidecommisso del cardinal Aquitanio Cesi, con proibizione di mai venderle, o alienarle; ne mostrò il Nostro predecessore Clemente XI. di fel. mem. il desiderio di averle, per collocarle nel palazzo di Campidoglio; onde si fece gloria il duca Federico di presentargliele, senza verun' interesse; cosicchè il prelodato Nostro predecessore per rimostrargliene il pieno gradimento, e a titolo di magnanima condiscendenza, con special chirografo segnato il dì 8. marzo 1719. benignamente si degnò concedere alli due figli del detto duca Federico sei officj vacabili della Nostra camera capitolina: concedette a Carlo primogenito oratore quello di mastro delle mosse con tre regalie del sale, una per se, e due per due sostituti; l'altro di commissario secondo dell'acqua del cerchio massimo, ed il terzo di custode secondo delle misure di Campidoglio: e concedette a Federico altro figlio secondogenito l'offizio di agente del popolo romano colla solita regalia del sale; il secondo di computista della gabella della carne, poscia estinto nel 1743 dalla stessa camera capitolina; ed il ter-

zo di custode primo della statua di Sisto V., con dichiarazione, che tali concessioni, dovessero considerarsi distinte, e separate. E siccome ha cessato di vivere l'anzidetto Federico, e per conseguenza essendo devoluti alla camera li due vacabili ad esso intestati di annua rendita in tutto di sc. 142. 05. ha perciò esso duca Carlo Cesi implorato la Nostra paterna clemenza umilmente supplicandoci, acciò vogliamo degnarci di accordargli la rendita dei detti due vacabili al defonto Federico intestati, finchè esso naturalmente viverà, ed attese le strettezze, in cui ritrovasi la sua casa, spera da Noi essere esaudito; e Noi inteso avendo le informazioni opportune, desiderando di usare, verso il suddetto duca di Aquasparta gli atti della Nostra munificenza, siamo benignamente condiscesi a fargli, come in appresso, la grazia. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola in parola registrato l'intero tenore di tutto ciò, e quanto è, e sarebbe necessario da esprimersi. Di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema potestà, vi ordiniamo, che in nome Nostro permettiate, e concediate, conforme Noi permettiamo, e concediamo la proroga delli suddetti divisati due officj vacabili, uno cioè di agente del popolo romano, e l'altro di custode primo della statua di Sisto V. in persona, e a comodo del predetto duca d'Aquasparta Carlo Cesi supplicante, di lui vita naturale durante, colla percezione de' frutti dal giorno della morte del memorato duca Federico suo fratello, e di più senza l'obbligo della prestazione, o sia pagamento delli frutti di due anni a favore della detta Nostra camera capitolina: commettendone similmente in nome Nostro, siccome Noi ne commettiamo, l'esecuzione alli conservatori di questa Nostra alma città di Roma. Per quello poi che risguarda gli emolumenti, o siano regalie del sale, delle quali già essi conservatori hanno disposto, Noi benignamente per grazia speciale, e per questa volta solamente, ci contentiamo di avere, come in effetto abbiamo per rata, e ferma la già fatta disposizione delle regalie medesime. Per altro Noi di Nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della Nostra suprema potestà, confermiamo, approviamo, ed autorizziamo in forma specifica la risoluzione della congregazione particolare del giorno 19. settembre dell'anno 1703. la quale al seguente dubbio = Se le re-
» galie del sale di quegli officj, che in
» sequela del chirografo d'Innocen-
» zo XII. di santa memoria dei 19. giu-
» gno 1694. per morte degli officiali ri-
» maneano ipso facto estinti in benefi-
» zio della detta camera, spettassero
» ai conservatori pro tempore; oppu-
» re anche esse regalie rimanessero estin-
» te a benefizio dell'appaltatore del sa-
» le, e della camera apostolica = rispose = affermativamente = ma in caso dal
» Papa si venisse alla concessione degli
» officj vacanti, o surrogazione di al-
» cuna persona, o luogo, che le dette
» regalie spettino a quell'offiziale, e
» luogo, che sarà surrogato =. Qual risoluzione fu anche confermata con chirografo segnato li 4. giugno 1704. di propria mano del memorato Clemente XI. Nostro predecessore. Per l'effetto poi di questa conferma, e per la più esatta osservanza in avvenire della risoluzione predetta, similmente di Nostro moto proprio vogliamo, ed espressamente = commandiamo, che in qua-
= lunque tempo, per lo avvenire succe-
= derà la vacanza degli officj vacabili
= capitolini, li conservatori pro tem-
= pore debbano subito ed in iscritto
= dar la notizia della vacanza al som-
= mo Pontefice o direttamente, o me-
= diante il suo uditore, colla distinta
= nota del titolo, e degli emolumenti,
= e regalie, in qualunque modo annes-
= se, ed annessi agli officj vacanti. Nè
= possano, sia d'essi officj, o delli lo-
= ro annessi, e connessi, o delle loro
= regalie, ed emolumenti, in qualun-
= que modo disporne, se non sentito
= prima l'oracolo del pontefice circa la
= nuova forse voluta concessione, o pro-
= roga degli officj. E ciò sotto tutte on-
= ninamente quelle pene, le quali altra
= volta furno minacciate, e stabilite per
= quelli, che contro i precetti, ed or-
= dini pontificj, alienano gli officj vaca-
= bili: quale nostra speciale volontà, e
= legge intendiamo, e commandiamo,
= che si annoti, e si descriva nelle ta-
= belle, e negli altri libri capitolini, e
= che si dia alle stampe, e si publichi
= unitamente colle altre ordinazioni pon-
= tificie, sulla stessa materia parimente
= publicate nell'anno 1753. E perciò in esecuzione del presente nostro chirografo ne pronunciarete qualunque decreto, e farete tutto altro, che pel totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza di questa nostra grazia stima-

rete in qualsivoglia modo essere espediente, e necessario; essendo così mente, e volontà nostra espressa.

Clausulæ salutares, et præceptum de judicio ferendo ad tramites illius a quolibet etiam privilegiatissimo judice.

§. 3. Volendo, e decretando, che il presente nostro chirografo, sebbene non esibito, o registrato ne' soliti libri della Nostra camera apostolica, abbia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, vigore, ed esecuzione, colla nostra semplice sottoscrizione, quantunque non vi siano stati citati li stessi conservatori di Roma, ed il fiscale della Nostra camera capitolina, e qualsisieno altre persone, che potessero avervi qualunque interesse; vogliamo similmente, e decretiamo, che contro il presente nostro chirografo, non si possa mai opporre di surrezzione, orrezzione, eccesso, o difetto della Nostra volontà, nè che in alcun tempo si possa opporre eccezzione alcuna; e così in tutto, e per tutto si debba non altrimenti giudicare, definire, ed interpretare da qualsivoglia giudice, e tribunale, benchè collegiale, congregazioni anche de' reverendissimi cardinali, camerlengo di santa Chiesa, tesoriere, ruota, camera, e qualunque altro; togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario: dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente nostro chirografo.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non ostanti la bolla di Pio quarto nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quœsito non tollendo*, e qualsisieno altre costituzioni Nostre, e de' Nostri predecessori; e specialmente in quelle parti però, che possan forse essere contrarj a questa Nostra volontà, e disposizione, e chirografi d'Innocenzo X., Alessandro VII., Clemente X. ed Innocenzo XII. altri Nostri predecessori posti in piè della tabella dell' entrata, ed uscita del nostro popolo romano, lo statuto di Roma, e qualsisiano altre cose necessarie da esprimersi, benchè contenessero derogatorie di derogatorie, e che richiedessero speciale, e specialissima menzione, alle quali tutte, avendone il di loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, per questa sola volta, e per l'effetto suddetto pienamente, ed ampiamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo questo dì 10 agosto 1771.

CLEMENS PP. XIV.

Executio datæ ipsi pontificio chirographo.

§. 5. Volentes itaque injuncta nobis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa debitæ exequutioni demandare: utendo facultatibus nobis in ipso chirographo tributis, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ nomine permittimus, et concedimus prorogationem duorum officiorum vacabilium, alterius nempe agentis inclyti populi romani, et alterius custodis primi statuæ Sixti V., in personam, et ad commodum prædicti illustrissimi, et excellentissimi domini ducis Aquaspartæ don Caroli Cesi, ejus vita naturali durante, cum perceptione fructuum a die obitus cl. me. ducis Friderici Cesi sui fratris, atque insuper sine obligatione præstandi, seu solvendi duorum annorum fructus favore excellentissimæ cameræ capitolinæ; committendo similiter pari nomine Sanctitatis Suæ præmissorum exequtionem excellentissimis dd. almæ urbis conservatoribus. Quod vero attinet ad emolumenta, seu regalias salis, de quibus jam dd. excellentissimi dd. conservatores disposuerunt, ipsius Sanctitatis Suæ nomine, ex speciali gratia, et pro hac tantum vice hujusmodi dispositionem ratam habemus, ac volumus esse firmam; cœterum, motu proprio ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ confirmamus, approbamus, atque authorizamus in forma specifica resolutionem congregationis particularis diei 19 septembris 1703. quæ sequenti dubio = *Se le regalie del sale di quegli officj, che in sequela del chirografo d' Innocenzo XII. di sa. me. dei 19. giugno* 1694 *per morte degli officiali rimaneano ipso facto estinti in benefizio della detta camera, spettassero ai conservatori pro tempore; oppure anche esse regalie rimanessero estinte a benefizio dell'appaltatore del sale, e della camera apostolica* = respondit= *affirmative* = ma in caso dal Papa si venisse alla concessione degli officj vacanti, o surrogazione » di alcuna persona, o luogo, che le » dette regalie spettino a quell'officiale, » e luogo, che sarà surrogato = Quæ quidem resolutio confirmata etiam fuit mediante chirographo signato die 4 junij 1704 propria manu sa. me. Clementis pp. XI. Pro effectu vero hujusmodi confirmationis, et pro exactiori in posterum observantia resolutionis prædictæ, pari nomine Sanctitatis Suæ volumus,

et expresse præcipimus, quod quandocumque in futurum officiorum vacabilium capitolinorum vacatio contigerit, debeant excellentissimi domini pro tempore conservatores notitiam vacationis ad summum Pontificem vel directe, vel mediante ejus r. p. d. auditore, statim, et per scripta deferre, cum distincta adnotatione tituli, et emolumentorum, ac regaliarum vacantibus officiis quomodocumque adnexorum: Nequeant autem sive de officiis ipsis, sive de illorum adnexis, et connexis sive de eorum regaliis, et emolumentis qualitercumque disponere, nisi audito prius super forte volita nova concessione, aut prorogatione officiorum, oraculo Pontificis: sub iis omnino, in contraventores pœnis, quæ alias in alienantes contra pontificia præcepta, et præscriptiones, officia vacabilia, comminatæ, et statutæ fuerunt; atque hanc specialem Sanctitatis Suæ voluntatem, et legem in tabellis, aliisque libris capitolinis adnotari, et describi Sanctitatis Suæ nomine jubemus: nec non typis mandari, et publicari, una cum aliis hac de re pontificiis ordinationibus anno 1753 pariter vulgatis, juxta, in omnibus, et per omnia, formam, seriem, ac tenorem memorati chirographi: non obstantibus, in iis tamen partibus, quæ forte possint esse contrariæ huic præsenti indulto, constitutionibus apostolicis, et signanter chirographis summorum Pontificum Innocentii X., Alexandri VII., Clementis X., et Innocentii XII. appositis in calce tabellæ introitus, et exitus inclyti populi romani, statuto urbis, et aliis quibuscumque necessario exprimendis, quibus idem Sanctissimus dominus Noster papa in præinserto chirographo derogavit. In quorum fidem etc. Datum Romæ ex palatio apostolico Quirinali, et ex ædibus nostris hac die 13 augusti 1771.

## CXXXVIII.

Datum die 13 augusti 1771 Anno III.

Unio, et incorporatio domus sancti Dionysii de urbe, ejusque provinciæ, ordini, ac abbati generali canonicorum regularium ss. Trinitatis et captivorum, cujus alumni in albo canonicorum regularium cum omnibus privilegiis, juribus, et indultis adscribuntur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ex debito pastoralis officii, sicut omnium christifidelium spirituali progressui vigili cura nitimur prospicere, ita non omittimus paterna charitate providere circa statum religiosorum ordinum prospere dirigendum, ut viri in illis adscripti uberius possint suæ, et aliorum saluti consulere, et ferventiori spiritu Altissimo famulari.

Expositio status ordinis cum suis privilegiis

§. 2. Cum itaque pro parte tam dilecti filii Caroli Malachane presbyteri expresse professi ordinis canonicorum regularium ssmæ Trinitatis redemptionis captivorum in sacra theologia magistri, et ejusdem ordinis procuratoris generalis in romana curia commorantis nomine provinciarum sui ordinis in Gallia existentium, quam pro parte dilectorum pariter filiorum Andreæ Perrin a Cruce moderni provincialis, et Angeli a Trinitate respective fratrum reformatorum provinciæ discalceatorum ejusdem ordinis in Gallia ab eorum provinciali capitulo deputatorum, Nobis fuerit humiliter expositum, quod cum alias, videlicet de anno domini MDCXXIX. quidam sui ordinis alumni in Gallia reformationem discalceatam in tribus prædicti ordinis domibus introduxissent, eam inde sub die xii. Septembris dicti anni approbari obtinuerunt per fel. rec. Urbanum pp. VIII. prædecessorem Nostrum, qui domos easdem, et alias in posterum ædificandas, aut acquirendas in unam provinciam, seu congregationem fratrum reformatorum, et discalceatorum ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum nuncupandam per suas literas in simili forma Brevis expeditas apostolica auctoritate erexit, prævia tamen dictæ provinciæ, seu congregationis hujusmodi sejunctione, dismembratione, et separatione a quavis alia dicti ordinis provincia, et jurisdictione, illa tantum excepta ministri generalis ejusdem ordinis, cui provinciam sic dismembratam hujusmodi perpetuo subjectam esse voluit,

facultatem insuper tribuendo Sedis apostolicæ nuntio Parisiis commoranti, et deinde archiepiscopo Lugdunensi pro tempore respective existenti, scilicet provinciam sic reformatam, et separatam hujusmodi per unum priorem provincialem ex fratribus ordinis carmelitarum discalceatorum, seu per unum ex aliis ordinibus mendicantibus, et reformatis desumendum, gubernari, administrari, et visitari faciendi, donec tamen numerus fratrum reformatorum hujusmodi ita in eadem provincia seu congregatione erecta augeretur, et octo saltem domos haberet, in quarum unaquaque duodecim saltem religiosi existere deberent; quo casu dictis fratribus reformatis provincialem, aliosque officiales ex ipsis desumendos seligere, et per ipsos gubernari secundum primitivam dicti ordinis regulam permittebatur, et alias, prout in supradictis, et aliis ejusdem Urbani prædecessoris etiam in forma Brevis expeditis literis, plenius respective dicitur contineri.

**Expostulatur dissolutio congregationis, et liberatio ab observantia constitutionum in ea vigentium.**

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, intento a reformatoribus fine eorum votis minime respondente, provincia sic incepta, et approbata hujusmodi, modo habuerit, modo vero, et plerumque non habuerit præscriptum, tum domorum, tum religiosorum in eis, ut præfertur, commorandorum numerum, et regularis observantia, quæ primum in ea vigeri visa fuit, temporum successu ita cœperit elanguescere, ut ea, propter domorum paupertatem, ac inservientium potissimum paucitatem, ad sexaginta circiter tantum clericos, et laicos ascendentium in solis octo domibus, sive hospitiis quibus tota provincia de præsenti componitur, difficile restaurari valeat, proptereaque dictæ provinciæ professores id serio perpendentes, ac regularis observantiæ hujusmodi restaurandæ difficultatem plane noscentes, in nuperrimo eorum provinciali capitulo per eos sub die xii. maji proxime præteriti in civitate Aquensi habito, cui venerabilis frater episcopus Sistariensis charissimi in Christo filii nostri Ludovici francorum regis christianissimi hac in parte commissarius expresse delegatus interfuit, ad modificatam observantiam, a qua sejuncti fuerant, et separati, ut præfertur, prævio tamen Nostro, et hujus sanctæ Sedis beneplacito redire, ejusque regimen, et disciplinam reassumere unanimiter deliberaverint, sese insuper obligantes ad novarum constitutionum a Nobis de mense novembri proxime præterito approbatarum, et confirmatarum pro Galliæ provinciis ejusdem ordinis observantiam, quarum tenor, lectione prævia publice coram prædicto episcopo assistente facta, ab omnibus, et singulis libere acceptatus, et collaudatus fuit (prout ex actu capitulari a dilecto quoque filio officiale venerabilis etiam fratris episcopi Massiliensis recognito, et nobis exhibito uberius continetur) quam quidem deliberationem iidem Carolus, et Andreas, ac Angelus exponentes, una cum ipsis modernis fratribus reformatis prædictis pro illius validitate, et pro disciplinæ regularis observiantia hujusmodi in eorum cordibus restituenda, plurimum inde eam per Sedem apostolicam perpetuo approbari, et confirmari, aliaque infrascripta per Nos fieri cupiant, et propterea iidem nomine suarum respective provinciarum hujusmodi Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

**Indulgentur gratiæ nonnullis sub reservationibus, et cautelis.**

§. 4. Nos igitur, qui personas inter ecclesiasticas, præsertim regulares, exactæ disciplinæ observantiam vigere, et fervorem in eis rursum accendi sinceris desideramus affectibus, dictis Carolo, et Andreæ, ac Angelo, necnon professoribus, aliisque dicti ordinis fratribus reformatis hujusmodi specialem gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, et audito prius dilecto filio Nostro Joanne Constantio S. R. E. diacono cardinale Caracciolo nuncupato ejusdem ordinis apud Nos, et hanc sanctam Sedem protectore, præfatam reformationem, dictamque domorum hujusmodi in congregationem, seu provinciam erectionem, ut præfertur, factam, apostolica auctoritate prædicta tenore presentium dissolvimus, illisque sic dissolutis, professores prædictos, seu fratres reformatos hujusmodi, necnon dictas domos, et præsertim domum, seu hospitium s. Dionysii de urbe eorumdem ordinis, et congregationis, cum omnibus, et singulis bonis, redditibus, proprietatibus, et juribus in quacunque re consistentibus, et undecumque provenientibus, et ad dictas domus, ut præfertur disso-

lutas quomodolibet spectantibus, et pertinentibus, eisdem provinciis gallicanis dicti ordinis, itaut professores prædicti, aliique ejusdem ordinis fratres reformati prædicti, non amplius ad dictæ reformatæ, ut præfertur, dissolutæ congregationis constitutionum, et regularum, et ad quamcumque aliam ejus observantiam ex nunc in posterum teneantur, sed in habitu, victu, incessu, moribus, ac in omnibus, et per omnia canonicis regularibus ordinis, et provinciarum gallicanarum hujusmodi se conformare, iisdemque privilegiis uti, et gaudere, eorumque novas constitutiones prædictas observare libere, ac licite valeant, et respective teneantur, ac debeant, et uti veri, certi, et indubitati canonici regulares, alumni, et filii dictarum provinciarum gallicanarum sint, et esse teneantur eo ipso, auctoritate, et tenore præsentis perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Administratio hospitii s. Dionysii de urbe ministro ordinis pro tempore conceditur.

§. 6. Et insuper prædictæ domus, seu hospitii s. Dionysii de urbe omnimodam administrationem, et regimen ministro generali dicti ordinis pro tempore existenti, penes quem sit, quoties ipsi in Domino visum fuerit, dictæ domui, seu hospitio s. Dionysii pro suo arbitrio de bono administratore ab una ex dictis provinciis gallicanis desumendo providere, auctoritate, et tenore similibus de specialis dono gratiæ perpetuo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogatur.

§. 8. Non obstantibus ejusdem Urbani prædecessoris literis prædictis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima tertia augusti millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXXXIX.

Dat. die 24. augusti 1771. Anno III.

Uniuntur fratres ordinis minorum sancti Francisci de Observantia custodiæ s. Mauritii in Sabaudia, ordini minorum Conventualium, cum subjectione ministro generali hujus ordinis.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Felici, ac tranquillo statui illorum, qui divinis obsequiis sub regulari instituto sunt mancipati, pro commisso Nobis coelitus pastoralis officii munere paterna charitate consulere cupientes, ea omnia favorabiliter concedimus, quæ ipsorum quieti, ac tranquillitati fore conspicimus opportuna.

Quantum deceat, ut segregatio peragatur inter professores diversi ordinis, et unio statuatur inter eos qui eamdem regulam sequuntur demonstratur.

§. 2. Nuper siquidem exponi Nobis fecerunt dilecti filii fratres ordinis minorum s. Francisci de Observantia nuncupatorum custodiæ sancti Mauritii in ducatu Sabaudiæ, quod cum ipsi æque ac fratres ordinis minorum s. Francisci Conventualium nuncupatorum bona stabilia in communi ibi possideant, hinc ab aliis fratribus ordinis minorum s. Francisci de Observantia, qui bona hujusmodi minime possident, separari, ac iisdem fratribus minorum Conventualium uniri plurimum exoptant: quocirca, annuente etiam carissimo in Christo filio Nostro Karolo Emmanuele Sardiniæ rege illustri et Sabaudiæ duce, predicti exponentes ad id consensum petierant, et obtinuerant tam a dilecto filio Paschale a Varisio ministro generali prædicti ordinis minorum s. Francisci de Observantia, quam a dilecto itidem filio Aloisio Maria Mazzoni ejusdem ordinis minorum Conventualium ministro generali, qui ambo propter

uniformitatem, inter utriusque ordinis professores illis vigentem, separationem hujusmodi, ac respective exoptatam unionem, in omnium utilitatem, ac pacem cessuram esse unanimi consensione censuerunt.

Expostulatur dispensatio ab emissis votis, ut separatio, et respectiva unio suum consequatur effectum.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut seperatio, ac respective unio hujusmodi suum consequantur effectum, dicti exponentes dispensationem, et absolutionem ab omnibus oneribus prædicto ordini minorum s. Francisci de Observantia adnexis ex professione regulari per eos emissa, aut etiam juramento inductis, exceptis tribus votis solemnibus, per Nos sibi concedi, eosque ab obedientia suorum respective superiorum dicti ordinis minorum s. Francisci de Observantia eximi, ac liberari, et regulæ, constitutionibus, ac legibus prædicti ordinis minorum s. Francisci Conventualium, eorumque generali, ac provinciali respective ministro subiici, eorumque privilegiis uti posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Dispensationem indulget Pontifex, novamque obedientiam decernit, cum suis privilegiis, honoribus, et oneribus.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolututos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; cum iisdem fratribus ordinis minorum s. Francisci de Observantia nuncupatorum dictæ custodiæ s. Mauritii in Sabaudia super voto perpetuæ obedientiæ pro tempore existenti ministro generali ordinis minorum s. Francisci de Observantia præstandæ per eos emisso, auctoritate apostolica tenore præsentium dispensamus, eosque ab omnibus oneribus eidem ordini minorum de Observantia adnexis, et regulari professione per ipsos emissa, aut etiam juramento inductis ( exceptis tribus votis solemnibus ) auctoritate, et tenore prædictis absolvimus, atque ab omni superioritate, correctione, visitatione, auctoritate, et jurisdictione ministri generalis ejusdem ordinis minorum de Observantia eximimus, et liberamus, ipsosque sic, ut præfertur, ab omnibus præmissis absolutos, exemptos, et liberatos, regulæ, constitutionibus, et legibus prædicti ordinis minorum s. Francisci Conventualium, ejusque pro tempore tam generali, quam provinciali respective ministro perpetuo subjicimus, ac subjectos fore, et esse volumus, et declaramus, ac eisdem habitu, nuncupatione, privilegiis, prærogativis, gratiis, et indultis, quibus fratres Conventuales prædicti quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum; pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant pari auctoritate, et tenore decernimus, atque statuimus.

Delegat vero apostolicum commissarium, ut optata separatio, et respectiva unio suum reipsa consequatur effectum.

§. 5. Ut autem recte, ac facilius separatio, ac unio hujusmodi suum reipsa consequantur effectum; et de doctrina, prudentia, pietate, charitate, religionis zelo dilecti filii Angeli Francisci Salietti de monte Calerio fratris expresse professi, ac in sacra theologia magistri, et definitoris perpetui ejusdem ordinis minorum Conventualium plurimum in Domino confisi, ipsum Angelum Franciscum in commissarium, et visitatorem apostolicum omnium conventuum ordinis minorum tam Conventualium, quam de Observantia in ducatu Sabaudiæ existentium, cum facultatibus necessariis, et opportunis, auctoritate, et tenore prædictis eligimus, et constituimus, ac deputamus, ad hoc præsertim, ut conventus eorumdem fratrum minorum de Observantia in ducatu Sabaudiæ hujusmodi existentes; nempe s. Mariæ Ægyptiacæ Chambery, sancti Francisci Anecy, sancti Francisci Aquiani vulgo Evian nuncupati, sancti Michaelis apud forum Claudii vulgo pariter Moutiers nuncupati, sanctæ Mariæ Miani, et sancti Francisci apud Scalas vulgo Ecchelles auctoritate Nostra apostolica visitare, eorumque status, capitalia, jura, et bona inquirere possit, ac valeat.

Eidem commissario committitur, ut de consensu regis Sabaudiæ ægestati conventus, prout melius censuerit provideat.

§. 6. Quoniam vero prædicti conventus paupertate, et ægestate, sicut accepimus, premuntur, hinc eidem Angelo Francisco commissario, ac visitatori a Nobis, ut præfertur costituto facultatem super omnes conventus tam minorum Conventualium, quam minorum de Observantia ducatus Sabaudiæ prædicti, eos nempe ad quemlibet minorem numerum, prout opus erit, redigendi, nec non cum consensu tamen ejusdem Karoli Emmanuelis regis, eorum bona vendendi, alienandi, transferendi, commutandi, ac ea omnia investiendi, quæ transferri, vendi, seu commutari, aut investiri rationabiliter de-

bent, simulque, singula distribuendi, atque applicandi superstitibus conventibus, juxta datam sibi a Domino prudentiam, et prout magis expedire judicabit, pari auctoritate, tenore præsentium, concedimus, et impertimur.

Episcopo Gebennensi conceduntur conventus et ecclesia s. Francisci Anecy, revocata qualibet regularitatis qualitate.

§. 7. Præterea cum, sicut etiam accepimus, commoditas incolatus venerabili fratri episcopo Gebennensi deficiat, et adhuc desideretur ecclesia, in qua tum ipse, tum etiam dilecti filii capitulum, et canonici sacras functiones peragere, divinaque officia eo, quo par est, decore celebrare possint, ac valeant; hinc est, quod Nos tam gravi ipsorum omnium necessitati paterna charitate consulere volentes, conventum, et ecclesiam sancti Francisci Anecy motu-proprio, eisdemque auctoritate, et tenore perpetuo supprimimus, ac quamcumque regularitatis qualitatem ab eis tollimus, et amovemus, eumdemque conventum cum suis omnibus adnexis, connexis, domibus, si quæ sint, et ab eo dependentibus, pro commoda, ac necessaria habitatione pro tempore existentis episcopi Gebennensis concedimus, et assignamus, ecclesiamque prædictam cum omnibus sacris illius supellectilibus eisdem episcopo, et capitulo tam quoad proprietatem, quam quoad usum pro peragendis ibidem sacris functionibus, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo tribuimus, et applicamus; ita tamen, ut bona tam mobilia, quam stabilia prædicti etiam conventus Anecy ad fratres Conventuales prædictos tam quoad possessionem, quam quoad dispositionem spectent, atque pertineant.

Directio monialium in ducatu Sabaudiæ existentium committitur fratribus Conventualibus; illisque deficientibus unis locorum episcopis reservatur.

§. 8. Volumus autem, quod monasteria dilectarum in Christo filiarum monialium in eodem ducatu Sabaudiæ existentium, quarum spiritualis directio modo penes eosdem fratres ordinis minorum sancti Francisci de Observantia residet, in posterum conservato omnino illarum instituto, apud fratres ipsos in Conventuales redactos, ubi eorum conventus etiam in posterum subsistent, ac reperiantur, semper permaneat; quod si conventus illorum locorum, in quibus monasteria monialium hujusmodi existunt, auferantur (ut præfertur) vel supprimantur, tum omnimodam spiritualem quoque eorum directionem ad episcopos, seu ordinarios locorum pertinere debere statuimus, atque mandamus.

Clausulæ salutares.

§. 9. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decreto irritante.

§. 10 Sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinum, conventuum, et monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XXIV. augusti millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 26. augusti 1771. Anno III.

## CXL.

Facultas custodibus confraternitatis sanctorum Bartholomæi, et Alexandri nationis Bergomensis de urbe denenegandi adolescentibus ejusdem nationis admissionem ad collegium Cerasoli, certis non adimpletis conditionibus.

Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur quibus legibus suum collegium in urbe erigi curaverit pius sacerdos Flaminius Cerasoli.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni custodes confraternitatis, seu societatis sanctorum Bartholomæi, et Alexandri nationis Bergomensis de urbe, quod alias tum in humanis agens quondam canonicus Flaminius Cerasoli in suo ultimo testamento condito die x. novembris MDCXL. per acta Salvetti mandavit, ut unum erigeretur collegium in urbe prædicta pro adolescentibus nobilibus ejusdem nationis Bergomensis, in quo eædem servandæ essent leges, atque statuta, quæ servabantur in alio collegio Matthæi nuncupato in præfata urbe erecto; voliti autem collegii hujusmodi administrationem, atque jus nominandi adolescentes in eo admittendos idem testator reliquit custodibus pro tempore existentibus prædictæ confraternitatis sanctorum Bartholomæi, et Alexandri.

Inter cætera onera collegiales tenentur quarto, vel quinto studiorum anno lauream doctoralem sumere, sub poena solvendi alimenta recepta.

§. 2. Quia vero inter cætera præscripta in statutis prædicti collegii Matthæi, ad quæ ipse testator se retulit, cautum reperitur, ut collegiales in quarto, seu quinto anno suorum studiorum sumere debeant lauream doctoralem in sacra theologia, vel in alia scientia, quæ ad acquirendam hujusmodi facultatem perducat, sub pœna solvendi in casu deficientiæ eidem collegio alimenta præstita per totum, ac integrum tempus, quo quisque ex eis ibidem commoratus fuisset, imposito ad hunc effectum onere præstandi cautionem; hinc pro tempore existentes custodes dictæ confraternitatis nunquam adolescentes memoratæ nationis in collegio Cerasoli hujusmodi admiserunt, nisi emissa prius obligatione, ac præstita idonea cautione, assumendi lauream doctoralem in sacra theologia, aut in jure canonico, et civili, antequam a dicto collegio ipsi discedant; adhibitæ tamen cautiones, ac diligentiæ hujusmodi plerumque effectu vacuæ remanent, quippe quia modo ex una, modo vero ex alia causa adolescentes admissi ab eodem collegio discedunt, absque eo, quod obtinuerint, vel assequi curaverint doctoralem lauream in aliqua ex facultatibus prædictis, ac ita inanem reddunt ipsius pii testatoris mentem, et intentionem, qui certe certius ex superaddita hac laureæ doctoralis sumendæ obligatione id potissimum præ oculis habuit, ut collegiales hujusmodi serio, ac utiliter iis facultatibus, et scientiis operam darent, in quibus lauream doctoralem assumere obstringebantur.

Postulatur propterea, ut adigantur collegiales ad deponendam in æde sacra summam pro assequenda laurea necessariam, antequam in collegio recipiantur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes ne amplius ulla ab eisdem collegialibus proponi valeat causa, propter quam ipsi onus sumendi lauream doctoralem, antequam a præfato collegio discedant, effugere usque adhuc assueverunt, facultatem denegandi admissionem ad collegium hujusmodi nobilibus adolescentibus nationis prædictæ illam petentibus, quoties ipsi præter obligationem sumendi prædictam lauream doctoralem, et cautionem solvendi omnia alimenta præstita in casu deficientiæ, summam quoque in sacra pietatis aede urbis prædictæ non deposuerint, quæ prompta requiritur in assequenda una, seu altera laurea doctorali hujusmodi, quæque in casu inadimplementi in utilitatem ejusdem collegii una cum jure repetendi præstita alimenta cedere debeat, sibi per Nos concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex annuit juxta preces, jubetque, ut summa deposita cadat in comodum collegii nisi lauream doctoralem adolescentes consequantur.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratias absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem nunc, et pro tempore existentibus custodibus dictæ confraternitatis petitam facultatem denegandi admissionem ad collegium Cerasoli hujusmodi prædictis adolescentibus memoratæ nationis, nisi prius ipsi obligationem emittant sumendi eamdem lauream doctoralem, ac idoneam præstent fideiussionem solvendi in casu deficientiæ omnia alimenta percepta, ac præterea deponant quoque in dicta pietatis aede quantitatem illam pecuniarum, quæ pro assecutione unius, vel

alterius laureæ doctoralis hujusmodi necessaria sit, auctoritate apostolica tenonore præsentium concedimus, et indulgemus. Volumus autem, ut in casu, quo lauream hanc doctoralem dicti adolescentes non assequantur, quantitas hujusmodi, ut præfertur, deposita, sine præjudicio juris repetendi etiam præstita alimenta juxta præscriptum statutorum, et ordinationum collegii Matthæi prædicti, in utilitatem ipsius collegii Cerasoli omnino cedat, et erogetur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces exstere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, et dicti collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisquæ contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem die vicesima sexta augusti millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno tertio.

---

Datum die 2 septemb. 1771. Anno III.

## CXLI.

### Prohibitio extraendi sacra supellectilia ex ecclesia, et monasterio ordinis s. Benedicti civitatis Alatrinæ

Clemens pp. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio Brevis, in quo extractio supellectilium prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prævia enumeratione rerum omnium quæ supellectilium nomine continentur.

§. 1. Conservationi, et manutentioni ornamentorum, ac paramentorum ecclesiæ monasterii monialium Annuntiationis beatæ Mariæ virginis immaculatæ in sancto Stephano nuncupat. ordinis sancti Benedicti civitatis Alatrinæ, quantum cum Domino possumus benigne consulere, et dilectas in Christo filias abbatissam, seu priorissam, et moniales dicti monasterii specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis humiliter porrectis inclinati: ne de cætero quisquam quavis auctoritate, superioritate, vel officio fungens, vasa, calices, candelabra, et alia paramenta, et ornamenta ecclesiastica ex auro, vel argento, aut alia quavis alia materia confecta, nec non aliam quamcumque supellectilem sacram ad ecclesiam, et monasterium hujusmodi nunc, et pro tempore quomodolibet spectandam (casulis tamen, aliisque sacerdotalibus vestibus, et supellectilibus linteis tantum exceptis) aliis ecclesiis, vel locis piis, aut personis quibuslibet commodare, vel sub quovis quæsito colore, causa, vel ingenio ex ecclesia, et monasterio hujusmodi extrahere, et asportare, seu ut commodentur, et asportentur permittere, aut consentire audeat, quovis modo, seu præsumat sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, nisi a Nobis, seu romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium præter quam in mortis articulo constitutus valent obtinere, apostolica auctoritate, tenore præsentium prohibemus, et interdicimus.

Derogatio contrariorum, et ordo retinendi exemplar prohibitionis in loco ubi ab omnibus legi possit.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ ecclesiæ, vel illius sacristiæ, aut alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni, et legi possit, assidue affixum remaneat. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda septembris millesimo septingentesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 4. septemb. 1771 Anno III.

## CXLII.

**Commissio super exemptione monialium tertii ordinis s. Francisci monasterii oppidi de Arbois Bisuntinæ diœcesis a jurisdictione fratrum ejusdem ordinis, et earum subjectione Ordinario pro tempore existenti.**

Dilecto filio Nostro Antonio Claimelo S. R.E. presbytero cardinali de Choiseul Beaupre nuncupat. metropolitanæ ecclesiæ Bisuntinæ ex concessione, et dispensatione apostolica præsuli.

Clemens pp. XIV.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur status monasterii, et ratio quæ Pontificis animum movet indulgendæ exemptionis.

§. 1. Cum sicut accepimus in oppido civitate nuncupat. vulgo de Arbois istius diœcesis Bisuntinæ unum reperiatur monasterium dilectarum in Christo filiarum monialium tertii ordinis sancti Francisci sub immediato gubernio fratrum superiorum ejusdem tertii ordinis, ac provinciæ; cui quidem monasterio opus omnino sit, non solum præsentem ejus statum, ac conditionem custodire, sed illam meliorem quoque reddere ea opera, iisque auxiliis, quæ a regularibus superioribus prædictis suppeditari minime valent; quo circa pro tua pietate, charitate, ac religionis zelo onus hoc assumere, et pastoralis tuæ solicitudinis partes in id quoque conferre intendas.

Memorantur apostolicæ literæ, quæ obstarent, ne expostulatæ exemptioni fieret locus.

§. 2. Verum quia per alias felicis recordationis Leonis pp. X. prædecessoris Nostri die x. januarii MDXXI. ac Urbani pp. VIII. itidem prædecessoris Nostri die xiv. martii MDCXXXVI. expeditas literas præscriptum reperitur, ut hujusmodi moniales tertii ordinis sancti Francisci de Observantia sub titulo sanctæ Elisabeth omnimodæ, ac integræ jurisdictioni, obedientiæ, et correctioni regularium superiorum dicti tertii ordinis, seu congregationis perpetuo, ac privative subjectæ esse debeant; hinc præmissa omnia exequi, et adimplere nequis, nisi ad hoc Nostra tibi suffragetur licentia, atque facultas.

Conceditur facultas episcopo pro tempore monasterium visitandi, et omnia in eo præcipiendi juxta regulas, et sacrorum canonum dispositionem.

§. 3. Nos igitur opem, auxiliumque, et assiduam vigilantiam tuam, ac pro tempore existentium archiepiscoporum Bisuntinorum in maximam ejusdem monasterii utilitatem cessuram esse in Domino plurimum sperantes, circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut dictum monasterium monialium tertii ordinis sancti Francisci oppidi, seu civitatis nuncupat. de Arbois hujusmodi semel tantum auctoritate Nostra apostolica visites, cum facultate illius statum, regulas, instituta, regimen, statuta, et consuetudines inquirendi, et quæ correctione, emendatione, et reformatione indigere cognoveris, juxta sacrorum canonum dispositionem, et apostolicas constitutiones, ac regularia ejusdem ordinis, seu congregationis statuta auctoritate apostolica confirmata, corrigendi, emendandi, reformandi, mutandi, ac etiam de novo condendi.

Indulgetur æque, ut monialibus per secreta suffragia, maxima in parte consentientibus etiam jurisdictio universa in episcopis resideat.

§. 4. Quod si, seorsim prius auditis monialibus omnibus præfati monasterii, ipsas ab jurisdictione, et obedientia regularium superiorum dicti tertii ordinis, seu congregationis sub qua usque adhuc vixerunt, ad immediatam ordinariam jurisdictionem tuam, et pro tempore existentium archiepiscoporum Bisuntinorum transire velle compereris, facultatem eisdem monialibus deinde capitulariter congregatis, ut ad id consensum suum per secreta suffragia præstare libere, et licite ipsæ possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; nec non quoties majoris earum partis consensus, sicuti præmittitur, per secreta suffragia desuper accesserit, tibi, ut easdem nunc, et pro tempore existentes moniales dicti monasterii sub tua, ac tuorum in archiepiscopatu hujusmodi Bisuntino successorum jurisdictione, obedientia, correctione, et visitatione recipere, et habere libere pariter, ac licite possis, et valeas plenam, et amplam potestatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Reservatur tamen monialibus dissentientibus arbitrium obtinendæ translationis in alium monasterium ordinariæ jurisdictioni minime subjectum.

§. 5. Volumus autem atque decernimus, ut in casu, quo aliqua ex monialibus hujusmodi potius quam ad dictam ordinariam jurisdictionem transire malit ad aliquod ex monasteriis dicti ordinis, seu congregationis, sive ejusdem diœcesis Bisuntinæ, seu aliarum diœcesum se conferre, id ipsa a te petere; tu vero, servatis iis, quæ in translationibus monialium servanda sunt, ei auctoritate Nostra apostolica concedere libere pariter ac licite possit et respective possis, ac valeas; ita tamen, ut monasterium ejusdem oppidi civitatis nuncupat. de Arbois solam dotem in ingressu persolutam restituere, minime vero totum id, quod eidem monasterio ab ipsis monialibus exemptibus, seu ab aliis earum causa oblatum, ac donatum sit, reddere teneatur.

Clausulæ salutares.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Decretum irritans.

§. 7. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus eorumdem Leonis, et Urbani prædecessoris literis, prædictis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes expressio ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

## CXLIII.

Dat. die 7. septemb. 1771 Anno III.

Facultas priori generali ordinis fratrum eremitarum s. Augustini super dimissione parvorum conventuum in regnis Hispaniarum, et Americæ partibus existentium.

### Clemens PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur status conventuum supprimendorum, ne regularis observantia detrimentum sentiat.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Xaverius Vasquez prior generalis ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, quod in provinciis ejusdem ordinis in regnis Hispaniarum, et in partibus Americæ existentibus nonnulli reperiuntur ita parvi conventus, ut in eis unus, aut duo tantum ejusdem ordinis fratres vivere possint. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, regularis observantiæ vigor in conventibus prædictis propter tam exiguum eorumdem fratrum numerum sperari minime valeat; dictus exponens facultatem præfatos conventus dimittendi, eorumque bona aliis conventibus ejusdem ordinis, cum onere tamen missarum, aliorumque legatorum piorum, applicandi per Nos concedi plurimum desiderat.

Preces porrectæ pro opportuno remedio, quod indulgetur, deputatis commissariis qui ad suppressionem deveniant.

§. 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem exponenti, ut ipse in unaquaque ex provinciis ejusdem ordinis in regnis prædictis, et Americæ partibus existentibus, ad præmissorum effectum, vel priorem provincialem cujusque respective provinciæ, vel alium præfati ordinis professorem religionis zelo, doctrina, pietate, et charitate præstantem eligere, ac deputare libere possit, ac valeat, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ipsis vero sic, ut præfertur, ab eodem exponente electis, et deputatis facultatem tribuimus super dimissione conventuum hujusmodi cum Ordinariis locorum, in quibus dicti con-

ventus respective existunt, juxta datam sibi a Domino prudentiam agendi, tractandi, et conventus ipsos, eorumque ecclesias dimittendi, ita tamen, ut ecclesiæ ejusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et onera infixa eisdem ecclesiis, vel ex jurepatronatus, vel alia legitima causa ibidem in posterum quoque remanere debeant, et adimplenda sint.

Consulitur distributioni onerum impositorum super bonis conventuum supprimendorum.

§. 3. Reliqua vero onera quæ super bonis tantum dictorum conventuum imposita esse comperiantur, una cum bonis ipsis ad alios ejusdem ordinis conventus, quos vel attenta locorum proximitate, vel eorum paupertate, prædicti electi, ac ut præfertur, deputati judicabunt in Domino opportuniores pertranseant. Nos enim ipsis prioribus provincialibus, seu electis, ac deputatis hujusmodi facultatem eadem bona juxta præmissa una cum suis oneribus aliis conventibus prædictis assignandi, et applicandi pari auctoritate, et tenore concedimus, et impertimur.

Præceptum servandi literas apostolicas.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula qua omnibus aliter judicandi adimitur potestas.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXLIV.

Dat. die 11. septemb. 1771. Anno III.

Ampliatio privilegiorum concessorum basilicæ Assisiensi beato patriarchæ Francisco confessori dicatæ, et cum concessione officii, et missæ dedicationis qualibet dominica decimaquinta post pascha sub ritu duplicis majoris celebrandæ.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memoriam dedicationis ecclesiæ exoptat Pontifex perpetuam reddere qui ordinem ipsum professus fuerat.

§. 1. Assisiensem fratrum minorum Conventualium ecclesiam beato patriarchæ Francisco confessori dicatam, ac tot, tantisque privilegiis, et gratiis summa romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum liberalitate merito insignitam quam maxime decet, ut Nos, qui ordinem ipsum professi fuimus, eumque singulari sane charitate complectimur, novis etiam pontificiæ benignitatis argumentis decoremus, illiusque dedicationis memoriam ea, qua par est, annua celebritate recolendam præcipiamus.

Enumerantur concessiones factæ ipsi ecclesiæ ab aliis Pontificibus.

§. 2. Id sane exigit non solum peculiaris noster obsequii, et devotionis affectus in eundem beatum patriarcham Franciscum, cujus corpus in Ecclesia prædicta requiescit, sed etiam ejusdem ecclesiæ qualitas, ac dignitas pene singularis; ipsa enim mater, et caput omnibus aliis ecclesiis ordinis minorum præcellit, et pontificia manu incæpta simul atque absoluta fuit. Primum siquidem ejus lapidem imposuit san. mem. Gregorius pp. IX. prædecessor Noster, eam vero sollemni ritu dedicavit Innocentius pp. IV. itidem Noster prædecessor: et postquam nonnulli alii romani Pontifices omnis generis pontificalia sacra in

ea celebrare assueverunt, ecclesiam hujusmodi basilicam patriarchalem, et cappellam papalem esse rec. mem. Benedictus pp. XIV. prædecessor quoque Noster constituit, et declaravit. Quo circa dignum omnino est, simulque ac debitum, ut omnes ipsius sancti patriarchæ filii sub suis vexillis militantes dedicationis hujus ecclesiæ diem annuæ celebritatis veneratione prosequantur.

Præcipitur missa et officium dedicationis omnibus utriusque sexus sub seraphico instituto militantibus.

§. 3. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine missam, et officium dedicationis ejusdem Assisiensis ecclesiæ dominica quinta post pascha sub ritu duplicis majoris cum lectionibus secundi nocturni propriis pro præfato ordine minorum Conventualium alias a Sede apostolica approbatis ab omnibus, et singulis utriusque sexus tam minorum ordinum, quam sanctæ Claræ, tertii ordinis, et quibusvis aliis regularibus personis quomodolibet sub ejusdem seraphici patris instituto militantibus, et ad officii divini recitationem obstrictis in quibuscumque provinciis, conventibus, monasteriis, et locis tam citra, quam ultra montes, et maria in universo orbe, et sub quorumlibet cura degentibus sub pœnis de non satisfaciendo ea die præcepto recitandi officium, aliisque in constitutione san. mem. Pii pp. V. prædecessoris Nostri contentis sub eodem ritu duplicis majoris, et iisdem lectionibus secundi nocturni propriis in perpetuum celebrari, et recitari districte præcipimus.

Constitutionis observantia decernitur.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis prædictæ nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xi. septembris millesimo septingentesimo septuagesimo primo pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXLV.

Datum die 11. septemb. 1771. Anno III.

Imminutio festorum in civitate, et diœcesi Portalegrensi.

Venerabili fratri episcopo Portalegrensi

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur.

Ratio concessionis.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit eidem fraternitati tuæ innotuit, quod in civitate, et diœcesi Portalegrensi adeo excreverunt calamitates, et angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, ac præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob escretum dierum festorum numerum.

Preces porrectæ pro gratia obtinenda.

§. 3. Ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare

remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem Ecclesiæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati.

Episcopo committitur dispensandi ab observantia festorum exceptis nonnullis nominatim indigitatis, et reservato onere audiendi sacrum.

§. 4. Fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus christifidelibus earumdem civitatis, et diœcesis Portalegrensis existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistæ, et sanctorum Petri, et Pauli, ac Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium Sanctorum; præterea quinque dicatis beatæ Mariæ virgini immaculatæ scilicet, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris dictæ civitatis, ac cujuslibet loci diœcesis hujusmodi pro hominibus civitatis, et cujuslibet loci prædictorum dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et diœcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, præceptis, præscriptisque (audita missa) laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo conscientiæ scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis et diœcesis prædictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXLVI.

Datum die 19 septemb. 1771 Anno III.

Erectio episcopatus græci ritus in ecclesia cathedrali Munkaesiensi.

Clemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Procemium

§. 1. Eximia regalium principum erga catholicam fidem sinceritas, et devotio qua ipsi in apostolici ovili unionem, et firmitatem etiam cum proprii peculii impendio enixe procurant, ita urget cor nostrum ut ad ea quæ ab iis pie religioseque petuntur utpote ad divini cultus incrementum tendentia, aures nostras ad exauditionis gratiam declinare non possimus, quin imo protinus apostolica dignitate prosequimur prout tantorum principum id exigunt preces, et apostolicæ Sedi ad illas gratas habendas convenit inclinatio.

Necessitas erectionis evincitur.

§. 2. Cum itaque alias sicut Nobis innotuit in diœcesi Agriensi ob Ruthenorum græci ritus uniti frequentiam ibidem cum latinis commorantium a romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris vicarius apostolicus ejusdem ritus apostolica auctoritate fuisset designatus, qui in oppido Munkaes dictæ diœcesis degens, ac episcopali titulo ecclesiæ in partibus infidelium consistens insignitus sacros ordines græcis unitis conferre aliasque sui episcopalis ministerii partes juxta græ-

corum unitorum hujusmodi consuetudinem, privilegia, et indulta eidem vicario a Sede apostolica concessa obire posset. Cumque Deo dante illius gentis numerus schisma deserentis adeo succreverit, ut ipsi a catholico sui ritus antistite regi, et gubernari ac proprii pastoris solatio frui, et præsidio tueri adversus schismaticorum versutias qui e s. matris Ecclesiæ sinu eos divellere, et in suos errores traducere sæpe numero adnituntur maxime desiderent.

Hungariæ, et Boemiæ regina eamdem erectionem anxie exoptavit.

§. 3. Et proinde charissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariæ, et Bohemiæ regina apostolica, cujus temporali ditioni iidem subsunt, pio religionis in dies augendæ studio incensa et solicita, ut ipsi orthodoxæ fidei firmius inhæreant, ac schimatici ad eam amplectendam facilius alliciantur loco, et vice vicariatus apostolici hujusmodi in eodem oppido Munkaes episcopatum græci ritus uniti per nos pari apostolica auctoritate erigendum vehementer exoptet quemadmodum ipsa Maria Theresia regina apostolica regiis suis literis ad id nobis datis luculentius exposuerit.

Post maturam deliberationem erectio indulgetur, eaque committitur nuntio apostolico.

§. 4. Nos matura prius deliberatione habita dictæ Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ precibus indulgere, ac ruthenorum græci ritus uniti nationem quantum in Domino licet specialibus favoribus, et gratiis prosequi, tum eorum spirituali bono animarumque saluti prospicere volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine officium vicariatus apostolici ejusdem ritus alias in dicto oppido Munkaes dicta apostolica auctoritate, ut præfertur, designatum, eadem apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus ac prædictum oppidum juxta canonicas sanctiones civitatis episcopali titulo, et honore dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus, ac ecclesiam inibi sitam, et a dilecto filio nostro, et Sedis apostolicæ nuntio Viennensi designandam in ecclesiam cathedralem Munkaesiensem græci ritus uniti nuncupandam pro uno episcopo Munkaesiensi, ejusdem græci ritus uniti etiam nuncupando, qui omnibus episcopalibus insigniis, et privilegiis eisdem modo, et forma quibus cæteri episcopi græci ritus uniti perfruuntur, et gaudent cum omnimoda jurisdictione episcopali in græcos omnes unitos in prescripta civitate Munkaesiensi aliisque locis, et terris dictæ diœcesis Agriensis existentes etiam perfruuntur, et gaudent, apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo erigimus, et instituimus.

Providetur ecclesia episcopalis dote quinquemillium florenorum, et abitatio decens pro episcopo.

§. 5. Et pro dictæ ecclesiæ episcopalis Munkaesiensis dote, et ad episcopalem dignitatem decenter tuendam summam quinque millium florenorum monetæ illarum partium a dicta Maria Theresia regina apostolica constitutam annuatim perpetuo absque ulla diminutione persolvendam. Ita tamen ut semper et quandocumque ejusdem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ in Hungariæ regno successores pro tempore existentibus episcopis Munkaesiensibus, græci ritus uniti de hujusmodi summa integre providere, vel eis equivalentes fundos assignare teneantur eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque constituimus, et assignamus, ac quod in prædicta civitate Munkaesiensi per Nos episcopali titulo ut præfertur decorata domus pro decenti pro tempore existentis episcopi Munkaesiensis græci ritus uniti hujusmodi habitatione, nec non quod in dicta ecclesia cathedrali Munkaesiensi per Nos, ut præfertur, erecta presbyteri seculares, seu monachi ejusdem græci ritus uniti dummodo ad præsens non adsint qui inibi capituli, et canonicorum aliorum eidem ecclesiæ cathedraii Munkaesiensi per Nos ut prefertur erectæ in divinis inservientium invicem impleant, officioque fungantur, instituantur dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo statuimus, et decernimus.

Ipsi reginæ conceditur jus nominandi episcopum a s. Sede approbandum.

§. 6. Et nominationem a dicta Maria Theresia regina apostolica Nobis de persona ad dictam ecclesiam cathedralem Munkaesiensem per Nos ut præfertur erectam a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi ut petitur vacantem factam, et ad illam per Nos propediem dicta apostolica auctoritate promovendam prout etiam nominationemque ab ejus in prædicto Hungariæ regno successoribus prædictis romano Pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure præfixum de persona idonea ad dictam ecclesiam episcopalem Munkaesiensem per Nos ut petitur erectam, et pro tempore vacantem fieri debebit pari prorsus modo quo ad nominationem hujusmodi episcopi aliarum cathedralium ecclesiarum in dicto regno existentium a Sede apostolica præfata præfici consueverunt eadem apostolica auctoritate nunc, ac etiam perpetuo admittimus; cum ea tamen lege quod tam episcopus in dicta ecclesia cathedrali Munkaesiensi per Nos ut præfertur erecta, et a primæva illius erectione hujusmodi ut præfertur vacante primo instituendus quam ejus in ecclesia

cathedrali per Nos ut præfertur erecta hujusmodi successores omnes nullo umquam tempore ordinariæ jurisdictioni venerabilis fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis episcopi Agriensis præjudicium aliquod inferre præsumunt.

Præfinitur jurisdictio novi episcopi.

§. 7. Sed jurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat, et populum Ruthenorum græci ritus uniti, aliosque qui eosdem ritus, et unionem sequuntur, et degunt tam in civitate Munkaesiensi prædicta per Nos episcopali titulo, ut præfertur, decorata, quam in aliis prædictæ Agriensis diœcesis partibus simpliciter exercere valeant, exacte servantes, et adimplentes decreta omnia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium de propaganda Fide hactenus edita, vel edenda quoad græcos, qui cum latinis immixti vivunt, quique huic novæ provisioni non obstent. Et insuper non solum in dicta ecclesia cathedrali Munkaesiensi, per Nos ut præfertur erecta, et a primæva illius erectione hujusmodi vacante primo, ut præfertur, instituendum episcopum, verum etiam omnes alios ad eamdem ecclesiam Munkaesiensem græci ritus uniti hujusmodi per Nos, ut præfertur, erectam dicta apostolica auctoritate ad nominationem hujusmodi promovendos, tam in eorum institutione, quam in singulis quibusvis annis vita comite fidei professionem a felic. rec. Urbano pp. VIII. etiam prædecessore Nostro pro græcis unitis præscripta emittere coram personis sui cleri, aut capituli in dignitate ecclesiastica insigniori constituitis, eamque scriptis traditam, propriæque manus earumdem personarum subscriptione, et sigillo munitam ad pro tempore existentem Viennæ nuntium apostolicum transmittere omnino teneri; quamque sic emissam ipse nuntius apostolicus ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus propositam præferri curabit eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo statuimus, et decernimus.

Reservatio jurium archiepiscopi Strigoniensis, præcipiturque observantia erectionis modis, et clausulis efficacissimis, ac amplissimis adhibitis derogationibus.

§. 8. Ac demum pro tempore existentibus archiepiscopis Strigoniensibus ut ipsi jurisdictionem omnem quo jure metropolitico in ecclesias suffraganeas illius provinciæ eis competit in dictam ecclesiam cathedralem quoque Munkaesiensem dicti græci ritus uniti per Nos ut præfertur erectam plenarie exerceant cum facultate etiam toties quoties eis placuerit ea inquirendi cognoscendique quæ ad fidei puritatem animarumque spirituale bonum noverint pertinere apostolica auctoritate prædicta, similiter perpetuo committimus, et mandamus. Decernimus præsentes semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc apectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac ullo umquam tempore ex quocumque capite, et qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invalidationis vitio, aut intentionis Nostræ, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis eorumque aliquo solemnitatis, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex eo quocumque alio capite, jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissima, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa etiam quantumvis juxta, rationabili, legittima, juridica, pia, privilegiata etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti seu se juvari in judicio, vel extra illud numquam posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum romanorum Pontifi-

cum ad summi apostolatus apicem ut motu, scientia, et potestatis plenitudine, similibus etiam consistorialis ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de iisdem præsentibus earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties ille emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque, et non alias per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos dictæque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio et in quacumque instantia judicari, et definiri debere irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum, et sanctio poenalis.

§. 10. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, vel ordinibus apostolicis, privilegiis quocumque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua non autem per clausolas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, constitutionis, assignationis, statuti, decreti, admissionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis millesimo septingentesimo septuagesimo primo tertiodecimo kalendas octobris, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXLVII.

Datum die 23. septemb. 1771 Anno III.

Puellis Sancti Spiritus in Saxia de urbe conceditur usus viridarii, in loco existente intra archiospitale.

### Clemens PP. XIV.

### Ad futuram rei memoriam.

Benedict. XIV jam locum concesserat ad usum viridarii apposito quoque lapide in memoriam concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ puellæ conservatorii archiospitalis sancti Spiritus in Saxia de urbe, quod alias felicis recordationis Benedictus PP. XIV. earum commodo, ac valetudini paterna charitate prospicere volens in loco intra archiospitale prædictum existente, ac diverso prorsus usui destinato hortum, seu viridarium, ut ipsæ exponentes, quæ vix aliqua anni die ab earum conservatorio exire solent ad illud tamquam ad apertum cœlum propriæ salutis tuendæ causa se se possent conferre constituit, eisque horti, seu viridarii hujusmodi usum concessit, et assignavit, suæque voluntatis hujusmodi perpetuum monumentum in lapide super ejusdem viridarii janua imposito, etiam reliquit.

Expostulatur propterea confirmatio concessionis, ne

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut concessio, et assignatio horti, seu viridarii hujusmo-

revocari in dubium posset.

di sicuti præfertur, secuta firmius subsistat, neve quisque alius illo uti, ac frui, seu ad alium, quam ad horti, vel viridarii usum convertere, aut commutare valeat, dictæ exponentes eamdem concessionem et assignationem per Nos confirmari, et approbari plurimum desiderent, idque etiam dilectus filius magister Romualdus Guido modernus ejusdem archiospitalis præceptor, seu commendatarius, pro eo, quo erga ipsas exponentes pollet charitatis zelo quam maxime cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatur gratia, prohibita quavis alia ejusdem loci destinatione.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati concessionem, seu assignationem usus horti, seu viridarii prædicti a memorato Benedicto prædecessore eisdem exponentibus factam, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, ac omnibus, et singulis cujusvis qualitatis, et dignitatis existant, ne exponentes prædictas ab usu horti, seu viridarii hujusmodi amovere, aut illud in quemcumque alium quam horti, et viridarii statum convertere, aut commutare, sub quavis causa, prætextu, et colore, audeant, seu præsumant, auctoritate, et tenore prædictis interdicimus, et prohibemus.

Clausulæ præservativæ, et salutares.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et iisdem exponentibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam sacri palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dicti archiospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno tertio.

---

## CXLVIII.

Dat. die 16. octobr. 1771. Anno III.

Concessio paramentorum pontificalium pro capitulo cathedralis ecclesiæ Ariminis in præfinitis diebus festis, et cum suis legibus, et declarationibus.

Dilectis filiis dignitatibus, et canonicis ecclesiæ cathedralis Ariminensis.

Clemens PP. XIV.

Laudes civitatis, et cleri Ariminensis.

§. 1. Dilecti filii salutem etc. Peculiari studio, et charitate complectimur, dilecti filii, ecclesiam Ariminensem, in cujus gremio nati sumus, civitatemque istam, in qua tamquam altera patria Nostra primos ætatis annos usque ad seraphici ordinis ingressum transactos a Nobis fuisse jucundissime recordamur; neque Nobis animo excidere umquam potest, qua tum virtutum laude floreret in populi ædificationem clerus, atque illa præcipua cleri pars, collegium nempe vestrum, cujus in vita pie sancteque ducenda præclarum erat specimen ceteris, ac in persolvendis præsertim divini cultus officiis multa præfulgebat sacro cum decore, ac dignitate conjuncta devotio. Hoc virtutis ac pietatis exemplum transmissum ad vos tamquam per successionem esse, ac nunc maxime in vobis vigere, præclare novimus, dilecti filii, ac summopere lætamur.

Preces porrectæ a capitulo

§. 2. Tanto itaque propensiore ani-

pro aliquo clementiæ pignore obtinendo.

mo excipimus preces vestras, quas exposuistis Nobis per dilectum filium Josephum Garampium intimum nostrum cubicularium, ac in arcanis epistolis Nostris a secretis, amantissimum civem vestrum, cujus perhonorifico de vobis et testimonio, et studio plurimum tribuimus, ut scilicet aliquod daremus Nostræ in vos clementiæ, et charitatis pignus, quod arbitraremur vobis, posterisque vestris ut ornamento ad laudem, ita etiam ampliori fore ad pietatem ac virtutem incitamento. Quapropter mature perpensis vestris postulatis, facile Nos in eam deliberationem venimus, ut magis Nostris in collegium vestrum studiis, quam desideriis vestris obsequeremur, eaque erga vos liberalitate uteremur, quæ modestiæ vestræ fines, ac fortasse etiam vota, expectationemque vestram transgressa videretur.

Præfiniuntur dies in quibus uti liceat mitra ex simplici tela linea præsente episcopo.

§. 3. Nos igitur vos specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, vestris supplicationibus inclinati, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione vobis, dilecti filii, præposito, archidiacono, et capitulo, vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum solemnioribus, nempe in nativitate Domini, in dominica resurrectionis, ac pentecostes cum duobus sequentibus respective diebus; in festis circumcisionis, epiphaniæ, ascensionis, et corporis Domini Nostri Jesu Christi; in feria quinta cœnæ Domini, feria sexta in parasceve, et sabbato sancto; dominica in Albis, et dominica sanctissimæ Trinitatis; in festivitatibus conceptionis, nativitatis, annunciationis, purificationis, et assumptionis beatæ Mariæ virginis; omnium sanctorum, nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri, et Pauli, sancti Gaudentii episcopi, et martyris, et sanctæ Columbæ virginis, et martyris; in die anniversario dedicationis vestræ cathedralis ecclesiæ, ac in commemoratione omnium fidelium defunctorum; dummodo iisdem diebus episcopus solemniter, et pontificaliter celebret; sicuti etiam aliis diebus, in quibus episcopus æque solemniter, et pontificaliter celebrare voluerit, et canonici juxta præscriptum cæremonialis episcoporum sacra paramenta assumere debeant, singuli vestrum, vestrique successores in vesperis, et missis solemniter decantandis, nec non in processionibus, seu aliis hujusmodi functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, tam in dicta cathedrali, quam in aliis ejusdem civitatis, et suburbiorum ejus ecclesiis, in quibus ad sacra solemniter peragenda tam episcopus quam capitulum collegialiter accedere consueverint, vel in futurum contingeret, mitra simplici ex tela linea (præsente etiam S. R. E. cardinali, et de latere, nec non provinciæ Romandiolæ legato) uti libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus, et indulgemus.

Absente episcopo conceditur usus mitræ ex tela aurea, vel argentea.

§. 4. Quod si episcopus in enunciatis festivitatibus, ac respective diebus absens fuerit, vel præsens pontificaliter non celebret, sicut etiam in processionibus litaniarum tum majorum, tum minorum, quas idem episcopus per seipsum non peragit, dignitati, seu canonico tantum hujusmodi functiones peragenti, ut indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia, nempe mitram simplicem ex tela aurea, absente episcopo, ex tela vero linea, præsente episcopo, vel S. R. E. cardinali; crucem pectoralem sine gemmis, annulum cum unica gemma; sandalia et caligas ex holoserico; chirothecas, tunicellam et dalmaticam, nec non faldistorium ligneum holoserico currentis coloris, non autem ex tela aurea, vel argentea coopertum, et ministrum de candela, seu palmatoria inservientem habere licite, et libere possit, et valeat, tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ceteris canonicis usu mitræ, quotiescumque episcopus pontificaliter per seipsum non celebret, et sacra paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto.

Conceditur quoque usus paramentorum pontificalium de consensu episcopi.

§. 5. Præterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa, in cathedrali, vel in aliis ejusdem civitatis, et suburbiorum ecclesiis, in quibus vel præsente, vel absente episcopo, capitulum collegialiter conveniat, peragatur, dignitati, seu canonico in missa, et vesperis, sive etiam processionibus celebrantis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra, et respective convenientibus indumentis pontificalibus supra enunciatis uti possit, dummodo licentiam singulis vicibus ab

episcopo obtinuerit. In exequiis vero defunctorum, in quibus juxta pontificalis romani parte III. tit. de officio, quod post missam solemnem pro defunctis agitur; et cæremonialis episcoporum lib. 2. cap. II. dispositionem conveniens, ut fiant absolutiones, tam ab ipso episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor episcopis, vel prælatis, si adsint, vel in defectum episcoporum a quatuor primis dignitatibus, vel canonicis, ut hujusmodi quatuor sive dignitates, sive canonici absolventes in actu tantum absolutionum prædictarum mitra simili uti possint, facultatem tribuimus, et impertimur.

Prohibetur ne paramenta assumantur ad altare, aut in choro, neve pontificalis benedictio impertiatur.

§. 6. Inhærentes autem sacrorum rituum congregationis decreto die xxix. januarii anni MDCCLI. edito, et a sa. mem. Benedicto XIV. prædecessore Nostro suis literis apostolicis tertio kalendas martii ejusdem anni confirmato, volumus, ac districte præcipiendo mandamus, ne dignitas, aut canonicus celebrans præsumat ullo modo vel pontificalibus indumentis ad altare, aut in choro indui, vel populum trina benedictione benedicere, vel cum formula episcopali *pax vobis* salutare, vel pastorali baculo uti.

In festo corporis Christi, usus mitræ interdicitur.

§. 7. Nullus vero sive canonicus, sive dignitas in processione corporis Christi mitram in capite gestare, aut mitra in aliis præterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere, et addere possitis, licentiam impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ac in uberius paternæ benevolentiæ argumentum vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum in arce Gandulphi Albanensis diœcesis sub annulo piscatoris die xvi. octobris MDCCLXXI. pontificatus Nostri anno tertio.

## CXLIX.

Datum die 8. novemb. 1771 Anno III.

Confirmantur regulæ, seu constitutiones congregationis presbyterorum sæcularium operariorum evangelicorum civitatis Januensis.

Venerabili fratri archiepiscopo Januensi

Clemens PP. XIV.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum pro approbatione regularum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri seculares congregationis operariorum evangelicorum nuncupatæ civitatis Januensis quod novissimis temporibus eadem congregatio in dicta civitate canonice (ut asseritur) erecta, atque instituta fuit, non solum ut inde viri in ea adscripti ope spiritualium exercitationum, ac literarum accademiis, studiisque probi, et idonei ecclesiastici efficerentur, verum quoque ad hoc ut æterna christifidelium salus sacramentorum administratione, oratoriis, aliisque piis operibus promovenda, et procuranda esset. Pro recto itaque ejusdem congregationis regimine, ac gubernio nonnullis præscriptis regulis ac constitutionibus eas non solum bo. me. Joseph Saporiti tunc archiepiscopus Januensis approbavit, sed etiam regulæ, et constitutiones hujusmodi a te quoque die xxix. januarii MDCCLXVIII. confirmari, ac denuo approbari promeruerunt. Harum igitur regularum tenor est qui sequitur, videlicet.

Tenor constitutionum.

§. 2. Regulæ congregationis sacerdotum sæcularium sub titulo operariorum evangelicorum erectæ Genuæ in aede præpositurali sancti Donati sub auspiciis Virginis immaculatæ, et sancti Francisci Salesii.

### CAPUT I.

*De fine Congregationis*

Finis congregationis est gloria Dei, et incrementum pietatis.

§. 3. Congregatio operariorum evangelicorum in præcipuum finem sibi propositum habeat majorem Dei gloriam, et pietatis incrementum in promovenda scilicet primum cleri disciplina, riteque formandis atque jugiter excolendis in vinea Domini operariis per accademias scientiarum, theologiæ potissimum dogmaticæ, et moralis, sacrorum rituum, et cæremoniarum, nec non per